CATHOLIC BOOK AGENCY
PIAZZA PONTE S. ANGELO, 28
ROME (ITALY)

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/adcodicemjvrisca0000vari

AD

CODICEM IVRIS CANONICI

BENEDICTI XV PONT. MAX.

AVCTORITATE PROMVLGATVM

COMMENTARIA MINORA

COMPARATIVA METHODO DIGESTA

CONCINNAVIT

DOCT. ALBERTVS TOSO

ECCL. CATHEDR. OPPIDEN.

CANONICVS

LIBER I. NORMAE GENERALES

ALTERA EDITIO REVISA

« Justitiam namque colimus, boni et aequi notitiam profitemur »

ULP.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library



PROSTAT APVD

AVCTOREM
S. GREGORIO AL CELIO
ROMÆ (47)

PETRVM MARIETTI - EDITOREM
BIBLIOPOLAM - TYPOGRAPHVM PONTIFICIVM
TAVRINI (18) - ROMÆ (17)
DOMVS ANNO 1820 CONDITA

28699

IMPRIMATUR

Tiferni Tiberini, 10 octobr. 1921

† *CAROLUS Episcopus*

Auctor omnia sibi vindicat proprietatis iura.

Tiferni Tiberini - Ex Officina Typographica Vinciana - MCMXXI

VIRO INCOMPARABILI

DESIDERATISSIMO

MARIANO RAMPOLLA DEL TINDARO

PRESB. CARD.

JVRIVM ECCLESIAE VINDICI

DICATVM

SECUNDAE EDITIONI PRAEFATIO

Huic, quam favente Deo alteram commentariorum ad primum librum Codicis editionem, eamque recognitam, adornamus exemplariorum bis millium, praemittere praestat, quae ab ephemeride romana IL MONITORE ECCLESIASTICO (fascic. novembr. 1920) de methodo, qua utimur, elucubrata sunt.

Scilicet *sapienter*, inquit, *cuiusque tituli canonibus explicandis introductionem auctor praemittit, qua et expenditur quodnam intercedat cum praecedenti titulo logicum nexum, et instituti iuridici origines ac per saecula evolutio perpenduntur, et tituli summarium logice describitur. Via igitur ita patefacta, quisque canon trutina pensatur, et in primis quidem analytice, idest ex interpretatione textus colligendo mentem Legislatoris; deinde synthetice, nempe investigando, quibus principiis iuridicis singulorum canonum praescriptum innitatur; demum practice, videlicet exquirendo, quae, ex iam perspecta Legislatoris voluntate, practicae consequentiae descendant. Praeterea maximi sunt momenti frequentissimae iuris civilis diversarum nationum allegationes, quocum ius canonicum identidem confertur. Singulis autem canonibus ita examinatis, titulum claudit conclusio, qua, quae in titulo disquisita sunt, summatim describuntur. Velimus huius methodi praestantiam praetereat nemo.*

Romae, die 10 octobr. 1921

CAN. ALBERTUS TOSO

CANONES PRAELIMINARES

Cum nova lex aut legum series promulgatur, legislatori semper consulendum est iuribus antea quaesitis. Praeterea, cum Legislatori nostro hoc fuerit in Codice iuris canonici redigendo consilium, ut *universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, in unum colligerentur amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus fuisset, ad nostrorum temporum conditionem propius aptatis,* (Pius Pp. X, motu-propr. *Arduum sane munus,* 19 mart. 1904), scilicet ut universa Ecclesiae legislatio recognosceretur, cumque haec et legibus et consuetudinibus constet, praeter conditionem iurium quaesitorum, determinare quoque oportebat, quae leges quaeque consuetudines, in Codicem non receptae, servarentur aut abrogarentur. Demum, cum eadem legislatio et ius Ecclesiae Orientalis et ius liturgicum atque concordatarium complectatur, praedefiniendum erat an et quomodo haec iura, Codicis dispositionibus afficerentur.

Idque fit per canones praeliminares, qui ideo inserti sunt, ut constaret quaenam fuerit initio diei 19 maii 1918, quo die Codex obligare incepit, totius ecclesiasticae legislationis conditio.

Can. 1.

Licet in Codice iuris canonici Ecclesiae quoque Orientalis disciplina saepe referatur, ipse tamen unam respicit Latinam Ecclesiam, neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt.

Hoc igitur primo canone praeliminari excluditur a potestate Codicis Ecclesia Orientalis.

Huius quidem *Ecclesiae* (1) *disciplina in Codice saepe refertur.* Neque

(1) Ecclesia Orientalis, doctrina olim ac sanctitate celeberrima, ideo ita appellata est, quod ad orientales Romani Imperii partes pertinebat. Diviserat enim Diocletianus Aug. provincias Imperii in partes quatuor (*tetrarchia*), quarum binae citra,

aliter esse poterat: siquidem Codex interdum *principia attingit, quae ad ius naturae vel ad ipsam Fidem referuntur* (Lex propr. Commiss. Codici redig. praepositar. 11 apr. 1904 ex *Praefat.* ad Cod.), et haec sane eadem sunt pro utraque Ecclesia; saepe etiam canones exhibet, qui, quamvis ius mere ecclesiasticum contineant, tamen vel utrique Ecclesiae communes sunt vel pro Orientalibus exclusive statuuntur.

Est autem *disciplina Ecclesiae Orientalis* ius quoddam particulare et personale (cfr. comment. ad can. 8 n. 1), iuri religionum exemptarum comparandum, constans moribus legibusque vetustissimis, pluries ab Ap. Sede probatis, necnon legibus peculiaribus latis in Orientalem Ecclesiam a Romanis Pontificibus.

Quam quidem disciplinam *Codex non respicit*, et ideo sarta tectaque manet, *nisi de iis agatur, quae ex ipsa rei natura Ecclesiam etiam Orientalem afficiunt.* Ex rei autem natura Orientales afficiunt illi Codicis canones, in quibus agatur *de fide et doctrina catholica; de iuris divini authentica interpretatioue;* demum *de lege disciplinari, in qua Orientales expresse nominantur* (S. C. de Propag. Fide, litt. encycl. 8 nov. 1882).

Qua de causa, etiamnum merito dici potest *ecclesiasticae historiae ignarus, qui nesciat, nihil unquam actum esse a Romanis Pontificibus, quod venerabili orientali ritui detrimentum inferret* (Benedictus Pp. XIV constit. *Allatae sunt*, 26 iul. 1755 n. 6). Neque mirum: nam, salva fide atque christianis moribus, non profecto est Ap. Sedis, Nationum sibi subditarum libertatem praecidere, consuetudines perturbare.

Can. 2.

Codex, plerumque, nihil decernit de ritibus et caeremoniis quas liturgici libri, ab Ecclesia Latina probati, servandas praecipiunt in celebratione sacrosancti Missae sacrificii, in administratione Sacramentorum et Sacramentalium aliisque sacris peragendis. Quare omnes liturgicae leges vim suam retinent, nisi earum aliqua in Codice expresse corrigatur.

Ecclesia Orientali, prout supra diximus, exclusa, manet Ecclesia Latina: sed neque huius Ecclesiae leges omnes in Codicem redactae sunt, hoc enim canone excluditur ius liturgicum. Hoc ius eas leges com-

---

binae vero reperiebantur ultra lineam quandam fictitiam, quae a finibus Sirmii, Pannoniae urbis, ad intimum sinum maioris Syrtis pertingebat.

Huiusce autem Ecclesiae septuaginta quinque dioeceses, quae Fotiano schismati supersunt, sitae sunt intra fines Italiae (dioecesis Lungrensis in Calabria), Jugoslaviae, Hungariae, Poloniae, Russiae, Asiae minoris, Armeniae, Syriae, Palaestinae, Mesopotamiae, Persidis atque Aegypti; quadruplici ritu (graeco, armeno, copto, syriaco) utuntur, et a sex Patriarchis, viginti sex Archiepiscopis, quadraginta tribus Episcopis reguntur.

plectitur, quae ad divinum cultum publice Deo vel privatim exhibendum pertinent, atque libris liturgicis (videlicet *Missali, Breviario, Pontificali, Caeremoniali Episcoporum, Rituali, Antiphonario* ac *Vesperali*) iuxta cuiusque editionem typicam, continentur.

Codex igitur *plerumque nihil decernit de ritibus et caeremoniis, quas liturgici libri servandas praecipiunt*, sed solummodo hic illic, occasione capta et obiter tantum, aliquid statuit ad dubia eliminanda, defectus supplendos vel nonnullas etiam caeremonias aliquatenus immutandas: non enim liturgicas leges ordinare voluit Legislator.

Unde sequitur: *omnes liturgicae leges vim suam retinent,* idest sive in libris liturgicis sive in decretis authenticis S. Rituum Congregationis reperiantur; ea tamen conditione, quod agatur de materia stricte liturgica, nam materia late liturgica ad ius proprie disciplinare translata est et competentiae Congregationis Rituum subducta. Ita ex. c. quaestiones de praecedentia, quae antea apud hanc Congregationem agitabantur et de quibus eadem Congregatio plura decreta ediderat (cfr. *Decr. authent.* passim), nunc ad Congregationem Concilii pertinent (can. 250, § 3). Ideoque consuetudines late liturgicae, post Codicis promulgationem, sortem etiam veteris iuris disciplinaris secutae sunt.

Sed quid de consuetudinibus stricte liturgicis? Explorandum esse videtur, num canonibus liturgicis Codicis contrariae sint aut minus: si contrariae, praescripto can. 5 subsunt, cum hic canon omnes prorsus *consuetudines* respiciat *contra horum* (videlicet Codice contentorum) *statuta canonum vigentes*; sin minus, cum Codex de iis nihil caveat, ad normam veterum legum liturgicarum censendae sunt.

Quae quidem leges, excepta, ut supra animadvertimus, materia late liturgica, *vim suam retinent, nisi earum aliqua* (uti ex. c. ritus extremae unctionis, quoad unctionem lumborum et pedum: can. 947, §§ 2 et 3) *in Codice expresse corrigatur.* Quod planum est.

Can. 3.

Codicis canones initas ab Apostolica Sede cum variis Nationibus conventiones nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant; eae idcirco perinde ac in praesens vigere pergent contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.

Iure liturgico et ipso excluso, restat ius, quod quodammodo antonomastice *disciplinare* dicitur, constans nempe legibus, quae ad Ecclesiae regimen ac populi christiani mores spectant. Sed etiam huius iuris nonnulla excipiuntur a Codicis potestate, et primum *conventiones ab Apostolica Sede initae cum variis Nationibus :* ius nempe particulare, per *concordata* constitutum praeter vel contra ius commune in Codicem receptum.

Quae quidem concordata *Codicis canones nullatenus abrogant aut iis aliquid obrogant* (2); proinde nulla eversio nullaque mutatio quoad ius per concordata constitutum, veluti si Codex iuris canonici promulgatus non fuisset.

Idcirco huiusmodi concordata *perinde ac in praesens vigere pergent, contrariis huius Codicis praescriptis minime obstantibus.* Quare? Et quaenam, ex concordatis hucusque initis, *in praesens*, idest cum Codex obligare incepit, ex toto vel ex parte vigebant? Est quaestio prolixa, implicata, difficilis, ad quam solvendam, nedum naturam concordatorum oportet habere perspectam, verum etiam singularum conventionum Statuumque contrahentium vicissitudines, et quidem a die subsignationis usque ad 19 maii 1918: quae omnia profecto hic agitare non possumus. Pauca tamen delibare liceat.

Et in primis duae potissimum sunt doctorum catholicorum sententiae de natura concordatorum. Alii enim tenent, saltem quoad eos articulos, quibus aliquid exercitii ecclesiasticae iurisdictionis laicis tribuitur (ex. c. ius Episcopos nominandi), inesse concordatis naturam privilegiorum apostolicorum; proinde et Ap. Sedem ex iustitia commutativa non obligare, et ideo, summo iure, semper valide posse a R. P. rescindi (cfr. Wernz, *Ius decretal.* t. I n. 172). Contra, ceteris placet, concordata habenda esse uti pacta bilateralia, quae et ex iustitia tenent contrahentes et rescindi valide non possunt, nisi ex communi consensu vel necessitate cogente.

Cui postremae opinioni suffragare videntur acta authentica Ap. Sedis, praesertim recentiora. Ut enim Leonem X (constit. *Primitiva illa*, 1516) et Benedictum XIV (Concord. Hispanicum, 11 ianuar. 1753) praetermittamus, Leo XIII (ep. *Nobilissima Gallorum*, 3 febr. 1884) ait: *Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem, publice aliquid constitutum est, tunc profecto quod iustitiae interest, interest idem rei publicae: concordiam manere integram.* Et iterum (ep. ad Archiep. Monachen. 29 apr. 1889): *Cui* (concordato) *ab altero e paciscentibus derogari vel obrogari nequit, altero ignaro, abnuente.* Denique (ep. *Au milieu des sollicitudes*, 16 febr. 1892): *Sur le maintien de ce pacte solennel et bilatéral* (concordatum Piano-Napoleonicum) *toujours fidélement observé de la part du Saint-Siege*, etc. Atque etiam apertius Pius Pp. X (encycl. *Vehementer nos*, 11 febr. 1906) de eodem concordato haec habet: *Accedit*

---

(2) *Lex*, ait Ulpianus, *aut rogatur, id est fertur; aut abrogatur id est prior lex tollitur; aut derogatur, id est pars primae legis tollitur; aut subrogatur, id est adiicitur aliquid primae legi; aut obrogatur, id est mutatur aliquid ex primo lege* (Fragm. I, 3). Qui loquendi modus ex eo originem duxit, quod leges atque plebiscita populus aut plebs Romana in comitiis curiatis, centuriatis, tributis, suis suffragiis ferebat magistratu *rogante*.

autem quod haec vincula sanctiora iubebat esse sollemnis pactorum fides. Nempe conventio eiusmodi intercesserat, cuius ultro et citro constaret obligatio, cuiusmodi eae plane sunt, quae inter civitates legitime contrahi consueverunt. Quare Romanus Pontifex et rei Gallicae moderator, se et suos quisque successores sponsione obstrinxere, in iis, quae pacta essent, constanter permansuros. Consequebatur igitur, ut ista pactio eodem iure ac ceterae, quae inter civitates fiunt, regeretur, hoc est iure gentium; atque dissolvi ab alterutro dumtaxat, eorum qui pepigerant, nequaquam posset. Quibus verbis apertissimis, concordata tractatibus internationalibus aequiparantur, idque fit ab ipsa Ap. Sede, quae profecto, quidnam a se actum sit, ignorare non potest.

Quare ideo Codex nequicquam initis concordatis obrogare videtur, quia per actum unilateralem valide obrogare non poterat.

Iure autem *gentium* tractatus internationales dissolvuntur: 1) ex communi consensu contrahentium; 2) praestitis obligationibus pacto conventis; 3) elapso tempore vel conditione impleta, si cum conditione vel in diem pactum fuerit; 4) expressa renunciatione contrahentis, cuius unius fortasse intersit tractatum in vigore permansurum; 5) si res, de qua in conventione pactum fuerat, et fortuito et ex toto corruerit (cfr. Fiore, *Il dir. internaz. codific.* n. 839); 6) denique absque dubio si, circumstantiis substantialiter mutatis, alter contrahentium in ea sit conditione, ut pactum servare non possit. In summa, eodem modo consistunt atque dissolvuntur personarum internationalium obligationes ac personarum physicarum aut moralium contractus.

Qua de causa, ex concordatis centum triginta tribus (cfr. Mercati, *Raccolta di concord. su mater. ecclesiast.*), quae a die 5 iul. 1068 usque ad diem 24 iun. 1914 ab Ap. Sede cum variis Nationibus inita sunt, cum Codex obligare incepit, admodum pauca vigebant.

CAN. 4.

Iura aliis quaesita, itemque privilegia atque indulta quae, ab Apostolica Sede ad haec usque tempora personis sive physicis sive moralibus concessa, in usu adhuc sunt nec revocata, integra manent, nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur.

Hoc canone, canoni 10 parallelo, quemadmodum in praecedenti conventiones initas cum variis Nationibus, Legislator reservat *iura aliis quaesita itemque privilegia atque indulta*, quae ante Codicis promulgationem obtenta fuerint.

Iura quaesita sunt, quae factis iuridicis acquiruntur. Iuridica autem ea facta dicuntur, quibus ex voluntate legis aliquod ius acquiritur aut amittitur. Unde iura quaesita non sunt, quae innituntur facto non iuri-

dico, id est a lege non recognito uti capax iura gignendi aut perimendi, veluti ex. c. promissio officii ecclesiastici de iure non vacantis (can. 150, § 2) aut adeptio praebendae, quoad successionem in opimiorem proximam iure optionis; item iura quaesita non sunt, quae innituntur facto quidem iuridico, at non legitime peracto. Ex adverso iura quaesita sunt, quae innituntur factis iuridicis, quibus conditio apposita sit vel adiecta dies: dies enim vel conditio iure adiiciuntur et ideo factum iuridicum vitiare non possunt, quamvis iura per idem quaesita suspensa maneant, usque dum superveniat dies aut conditio impleatur.

Iura igitur quaesita ante promulgationem Codicis, puta per electionem, contractum, praescriptionem, Codice promulgato integra manent. Quare? Quia quod iam peractum est, *tamquam semel terminatum*, ait Iustinianus Aug., *veteribus relinquimus legibus* (Nov. 98, 1), id est subiici non potest iuri, quod, cum peractum est, non vigebat. Actus enim humani non alio ac iure tunc vigenti, cum positi fuerint, regi possunt; cum vero positi fuerint, omnes eorum iuridicae consequentiae, iura nempe aut quaesita aut amissa, eorum, qui posuerint, propriae in perpetuum fiunt, ita ut nihil amplius circa eas possit legislator, nisi forsitan aliquando propter utilitatem publicam (Cfr. comment. ad can. 10).

Cum iuribus quaesitis canon privilegia atque indulta reservat. At alio prorsus modo: dum enim iura quaesita a lege oriuntur et omnem vim suam habent a iure, privilegia et indulta secundum ius nec intelligi possunt, sed cum specialem favorem Principis semper contineant, vel contra vel saltem praeter ius esse debent. Proinde iura quaesita reservantur *simpliciter* et ex iustitia: iura enim sunt, quae, nisi id postulet publica utilitas, sine iniuria perturbari non possunt; dum, contra, privilegia et indulta sub variis conditionibus et ex convenientia reservantur, nempe quia *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum* (R. 16 R. J. in VI°).

Privilegia quid sint, quemadmodum partiantur, acquirantur et pereant, postea videbimus (cfr. Introduct. ad Tit. V et comment. ad can. 63-79). Nomine autem indultorum, quae eo a privilegiis differunt, quod per se perpetua non sunt et ideo *quasi-privilegia* etiam dicuntur, intellige facultates atque gratias ad tempus praeter vel contra ius concessas ex indulgentia legislatoris.

Tum igitur privilegia, tum indulta sub variis conditionibus reservantur; et prima conditio est, quod *ab Apostolica Sede concessa fuerint.*

Quid ergo de privilegiis et indultis praeter aut contra ius a se conditum concessis ab Ordinariis R. P. inferioribus? Cum haec non reserventur, praescriptis Codicis subsint necesse est, et ideo ad normam canonum 71 et 60, § 2 aestimanda sunt. Proinde, si quae Codicis canonibus contraria sint, revocata censentur: nullimode enim inferior dero-

gare potest legibus superioris legislatoris; quae vero non contraria sunt, sed tantum praeter ius in Codicem receptum, quamvis fortasse contra ius particulare, integra manent, dummodo et revocata non sint et sint in usu.

Et altera conditio est, quod ante promulgationem Codicis, ad normam veteris iuris *non fuerint revocata*. Ius autem vetus hac in re a novo non differt (cfr. comment. ad can. 71).

Denique tertia conditio est, quod *in usu adhuc sint*, scilicet quod neque ipso facto, neque renunciatione, neque non-usu cessaverint (cfr. comment. ad can. 72-79).

Privilegia igitur atque indulta ab Ap. Sede concessa, quae in usu adhuc sint nec revocata, integra manent *nisi huius Codicis canonibus expresse revocentur*. Expresse autem revocantur, cum canoni adiicitur clausula indulti aut privilegii derogatoria, revocatoria aut reprobatoria (Cfr. can. 343 § 2; 460, § 2; 519; 522; 544 § 2; 654; 664 § 1; 876 § 1; 964 n. 1 et 4; 1157; 1267; 1356 § 1; 1576 § 1).

CAN. 5.

Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares, si quidem ipsis canonibus expresse « reprobentur », tanquam iuris corruptelae corrigantur, licet sint immemorabiles, neve sinantur in posterum reviviscere; aliae, quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii, pro locorum ac personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae suppressae habeantur, nisi expresse Codex aliud caveat.

Ecclesia Orientali et iure liturgico exclusis, Ecclesiae cum Statu initis conventionibus, personarumque ecclesiasticarum iuribus antea quaesitis, privilegiis atque indultis in materia disciplinari reservatis, manet reliquum ius disciplinare non codificatum. Quid de hoc iure dicendum? De veteri iure scripto in canone seqnenti: hoc autem in canone agitur de consuetudinibus Codici contrariis.

Consuetudo ecclesiastica aut *facti* est (cfr. comment. ad can. 25 n. 1) aut *iuris*: facti dicitur, cum in nudo facto consistit et proinde nullam obligationem parit; iuris vero, cum, omnibus iam praedita conditionibus a legislatore praerequisitis, ex eiusdem legislatoris consensu vim legis obtinuit et ideo vim obligandi. Rursus consuetudo aut *universalis* est aut *particularis*, prout ubique in Ecclesia viget aut minus; *iudicialis* aut *extraiudicialis*, prout a iudicibus ecclesiasticis aut ab aliis introducta est; denique aut est *secundum* aut *praeter* aut *contra ius:* secundum ius, si legem in usum deducat atque interpretetur; praeter ius, si legis deficientiam suppleat; contra ius, si ex eo consistat, quod

vel lex a communitate, in quam lata est, non recipiatur, vel recepta non servetur. Demum consuetudo iuris aut *ordinaria* est, aut *centenaria* aut *immemorabilis :* ordinaria quidem, si per triginta annos sit legitime praescripta; centenaria, si per centum annos perseveraverit; immemorabilis, si, quandonam introducta sit, ignoretur.

Ait igitur Legislator: *Vigentes in praesens contra horum statuta canonum consuetudines sive universales sive particulares.* Nimirum agitur in canone de consuetudinibus contra ius, universales aut particulares, iudiciales aut extraiudiciales, quae ante diem 19 maii 1918 vigebant.

Deinde sequitur: *si quidem ipsis canonibus expresse reprobentur.* Quibus verbis eae consuetudines comprehenduntur, quas Codex expresse reprobat, quaeque iisdem de causis etiam antiquo iure generatim reprobabantur et proinde nunquam fieri potuerunt consuetudines iuris. Huiusmodi consuetudines praecipit Legislator, ut *tanquam iuris corruptelae corrigantur neve in posterum reviviscere sinantur.* Non supprimuntur ipso facto per abrogatoriam legem, sed corrigi debere dicuntur: cum enim sint facti, et ideo vim legis non habeant, non est quod eis per legem abrogatoriam ipso facto possit auferri.

Praeterea, postquam correctae fuerint, in quantum reprobatae sunt, idest in quantum non uti consuetudines, sed potius uti corruptelae haberi debent, inferiores legislatores in posterum permittere non possunt ut reviviscant, ne videlicet quidem tanquam consuetudines facti.

Contra, *aliae*, a Codice non expresse reprobatae et tamen Codici contrariae, *quae quidem centenariae sint et immemorabiles, tolerari poterunt, si Ordinarii pro locorum et personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceterae*, idest quae centenariae aut immemorabiles non sunt, quaeve possint submoveri, *suppressae habeantur.* Patet ex postremis his verbis, hic agi de consuetudinibus, quae non solum, quia non reprobatae, per legitimam praescriptionem vim legis obtinere poterant, sed etiam de facto, cum Codex obligare incepit, iam obtinuerint; non enim potest *tanquam suppressum haberi*, ut supra diximus, nisi ius, idest, in casu, vis obligandi, quae consuetudini facti non competit. Ex his igitur consuetudinibus iuris, Codici contrariis, illae, quae centenariae sunt aut immemorabiles, inferiorum Ordinariorum prudentiae remittuntur: qui si, qua factum sunt, eas existiment (et quidem per iudicium locorum ac personarum adiunctis reipsa respondens) evelli non posse, tunc, etiam qua ius constituunt, possunt tolerari; si vero aut, qua factum sunt, possint evelli, aut etiam si consuetudines sint ordinariae tantum, sciendum est inferioribus Ordinariis eas tanquam suppressas haberi oportere, idest omnem iis consuetudinibus, legis vim per promulgationem Codicis esse ademptam, quin tamen vetentur denuo per legitimam praescriptionem obtinere.

Nisi expresse Codex aliud caveat: quod saepe facit Legislator, veluti

ex. c. can. 418: *dummodo propria ecclesiae legitima consuetudo servitium diuturnius non requirat;* can. 42 § 2: *nisi obstent ecclesiae statuta aut legitima consuetudo,* et alibi passim. Nam tunc consuetudo, etiamsi antea fuerit contra ius, secundum ius fit, atque, sicut veteres consuetudines praeter ius in Codicem receptum, uti antea, imo potiore ratione vigere perget.

CAN. 6.

Codex vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet, licet opportunas immutationes afferat. Itaque:

1° Leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae, abrogantur, nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur;

2° Canones, qui ius vetus ex integro referunt, ex veteris iuris auctoritate, atque ideo ex receptis apud probatos auctores interpretationibus sunt aestimandi;

3° Canones, qui ex parte tantum cum veteri iure congruunt, qua congruunt, ex iure antiquo aestimandi sunt; qua discrepant, sunt ex sua ipsorum sententia diiudicandi;

4° In dubio, num aliquod canonum praescriptum cum veteri iure discrepet, a veteri iure non est recedendum;

5° Quod ad poenas attinet, quarum in Codice nulla fit mentio, spirituales sint vel temporales, medicinales vel, ut vocant, vindicativae, latae vel ferendae sententiae, eae tanquam abrogatae habeantur;

6° Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis.

Sublatis consuetudinibus Codici contrariis, Legislator tandem de Codice directe loquitur, eique ius scriptum huc usque vigentem contraponit.

Codex igitur vigentem huc usque disciplinam plerumque retinet: uti enim supra demonstravimus (ante comment. ad can. 1), hoc fuit Legislatoris consilium, ut *universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur* (l. c.). *Licet opportunas immutationes afferāt:* hoc est, licet *quae abrogatae essent aut obsoletae,* a Codice amotae fuerint; ceterae vero, ubi esset opus, ad nostrorum temporum conditionem propius aptatae (ibid.).

Ideo *leges quaelibet, sive universales sive particulares, praescriptis huius Codicis oppositae abrogantur*: quidquid nempe habet naturam legis, ubique vigeat aut minus, si Codici opponatur, per promulgationem Codicis abrogatnm est. Id autem habet naturam legis quod a Principe

ecclesiastico, quod communitati subditorum legis ecclesiasticae capaci (idest natura sua perpetuae), quod sine limitatione temporis, quod ad bonum commune praecipitur (cfr. Introduct. ad can. 8). Sunt autem leges, quae uti tales promulgantur; sed sunt etiam leges, quae indirecte tales efficiuntur, ex eo nempe, quod norma aliqua agendi per conventionem aut stipulationem statuta, vim legis acquirit ex approbatione legislatoris. Ita ex. c. statuta Capituli aut confraternitatis, imo tabulae alicuius piae fundationis, evehi possunt ad naturam legis (cfr. can. 410 § 2; 396 § 2 et alios passim). *Nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur,* idest, nisi expresse excipiantur sive generaliter canone aliquo praeliminari, ut fit can. 3, aut nominatim suo quaeque loco.

Praeterea, facto ipso promulgationis Codicis, *abrogantur poenae* ecclesiasticae cuiuscumque generis, *quarum in Codice nulla mentio fiat.* Cum autem mentio semper sit expressa, ut poena aliqua abrogata censeatur, sufficit Codex de ea sileat, etiamsi fortasse aliquo canone implicite contineri videretur.

Tandem, *si qua ex ceteris legibus disciplinaribus*, idest non poenalibus, *quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amisisse dicenda est.* Quare tanquam abrogatae habendae sunt non solum leges, tum universales tum particulares, *contra* ius in Codicem receptum (cfr. n. 1 huius can.), sed veteres etiam leges universales (minime vero particulares), quae *praeter* idem ius per promulgationem Codicis fortasse evaserint, quaeque proinde in Codice neque implicite continentur. Implicite autem eae leges in Codice continentur, quae canonum praescripta necessario consequuntur, aut sine quibus vis canonum explicari non potest.

Praefinitis limitibus, quibus continetur Codicis vis atque potestas, Legislator normas quasdam tradit de Codice interpretando. Scilicet ius codificatum dividit in partes duas: ius vetus in Codicem receptum atque ius novum a se, in Codice digerendo, introductum. Illud, ubicumque reperiatur, prout ante Codicem explicabatur, etiam nunc explicari debet *ex receptis apud probatos auctores interpretationibus*, ex veteri nempe doctrina atque iurisprudentia; hoc, sive integro aliquo canone sive canonis parte contineatur, ex sua ipsius sententia diiudicandum est, nimirum iuxta communes normas interpretationis (cfr. comment. ad can. 18-20): dum enim de veteri iure copiosissima extat doctrina et amplissima iurisprudentia, contra, ius novum utrâque destituitur. Probati vero illi habentur auctores, quorum opinionibus Curia Rnmana utitur in suis resolutionibus atque sententiis.

Qnod si dubitetur, dubio utique positivo (cfr. comment. ad can. 15 n. 1), num canonis alicuius praescriptum a veteri iure discrepet aut minus, tunc *a veteri iure non est recedendum*, neque proinde a veteri doctrina ac iurisprudentia: iurium enim correctio, utpote res ex se odiosa (cfr. com ment. ad can. 23), quoties evidenter non apparet, abesse praesumitur.

Can. 7.

Nomine Sedis Apostolicae vel Sanctae Sedis in hoc Codice veniunt non solum Romanus Pontifex, sed etiam, nisi ex rei natura vel sermonis contextu aliud appareat, Congregationes, Tribunalia, Officia, per quae idem Romanus Pontifex negotia Ecclesiae universae expedire solet.

Cum de *Apostolica Sede*, in omnibus suis partibus, libro primo non excluso, Codex persaepe loquatur, oportebat Legislator, canonibus his praeliminaribus, qui et unum et universum Codicem respiciunt, haec verba authentice interpretaretur.

Plana autem sunt quae in canone habentur. Nam, quoad exercitium iurisdictionis, nisi iure sit expresse prohibitum, *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum* (R. 68 R. J. in VI°): Congregationes autem, Tribunalia et Officia Curiae Romanae ideo instituta sunt, *ut partita inter ea ingenti curarum negotiorumque mole, possent controversiae diligentius expendi et celerius faciliusque negotia expediri* (Pius Pp. X, constit. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908), idest uti nomine R. P. agerent, tanquam eius « longa manus ». Proinde, quidquid egerint, recte praesumitur a R. P. peractum.

Ecclesiastica igitur disciplina, Codice promulgato, regitur : iure divino sive positivo sive naturali; iure concordatario ; iure Codicis, cum omnibus suis clausulis reservatoriis, derogatoriis, reprobatoriis ; iure veteri non poenali, quod Codice implicite contineatur; iure disciplinari, quod, *praeter* Codicis praescripta, in libris liturgicis fortasse reperiatur; veteri iure consuetudinario, *praeter* ius in Codicem receptum, cui denique addendae sunt, donec auferantur, consuetudines toleratae.

LIBER I.

NORMAE GENERALES

TITULUS I.

DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS.

Quidquid Codice continetur legis habet rationem: quare primum oportebat de legibus loqui.

Tum ecclesiasticum tum civile hominum consortium, absque communi norma aliqua agendi, nec intelligi potest: quare et Ecclesia et Status divini humanique iuris auctoritate naturaliter reguntur. Est autem humanum ius aut scriptum aut non scriptum; hoc consuetudines, illo leges comprehenduntur.

Quamvis vero consuetudo praecedat, cum haec tandem aliquando amplioribus communitatis necessitatibus sufficere non possit, leges constituuntur. Unde Pomponius (fr. 2 D. I, 2) ait: *Initio civitatis nostrae populus sine lege certa, sine iure certo primum agere instituit: omnia manu a regibus gubernabantur. Postea aucta civitate ipse Romulus traditur populum in triginta partes divisisse, quas curias appellavit. Et ita leges quasdam et ipse curiatas ad populum tulit.* Quae plus minusve de legibus etiam mere ecclesiasticis dici possunt. Hinc Ecclesiae Patres in quaestionibus disciplinaribus solvendis ad consuetudines antiquas persaepe provocabant: quia, nempe, *ita semper et actum et traditum erat.*

Ea est autem legis natura, ut ei insit vis obligandi, quae sane in legislatore praesupponit praecipiendi facultatem, ad potestam regiminis (*sovranità, souveraineté*) pertinentem. Cumque nulla humana societas sine auctoritate consistere possit, fatendum est huiusmodi potestatem ex iure divino manare.

Iamvero potestas regiminis, et proinde leges ferendi, ab aliquo exerceri debet: oportet, nempe, alicui inhaereat tanquam subiecto, idque esse aut divino iure praefinitum aut minus. Scilicet subiectum duplex est: nam, ut ait Aquinas (Ia, IIae p. q. 90 art. 3), *lex proprie primo et principaliter respicit ordinem ad bonum commune: ordinare autem aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis, vel alicuius gerentis vicem*

totius multitudinis: et ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quae totius multitudinis curam habet.

Exinde differentia legum civilium atque ecclesiasticarum. Subiectum enim, cui perpetuo addicta sit potestas civilis regiminis, neque iure naturae, neque iure divino positivo praefinitum est, sed potestas concredita est civili societati aut per seipsam exercendam aut publicae personae tribuendam. (Leo Pp. XIII, encycl. *Immortale Dei*, 1 nov. 1885). Quare forma regiminis multitudini eligenda relinquitur, quae si regimine democratico Statum administrari maluerit, omnia, et ipsae leges, pendent a populi voluntate.

Sed aliter res se habet in Ecclesia Christi, quae, cum iure divino positivo societas sit inaequalis, omnia exclusive subsunt sacrae clericorum hierarchiae, praesertim vero Romanis Pontificibus, quorum cuilibet in persona B. Petri plena in universam Ecclesiam tradita est potestas iurisdictionis in haec verba: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Et tibi dabo claves regni coelorum* (Matth. XVI, 18-19)... *Pasce agnos meos... Pasce oves meas* (Joan. XXI, 15-17). Itaque inest Ecclesiae forma regiminis monarchica, ideoque quidquid habet rationem legis ecclesiasticae, exclusive pendet a voluntate legislatoris sive, uti Romanus Pontifex, *per legitimam electionem eiusdemque acceptationem* (can. 109) divinitus constituti, sive *per canonicam missionem* (ibid.) ecclesiasticae iurisdictionis participis. Proinde nihil relinquitur populi suffragio: non enim *qui in ecclesiasticam hierarchiam cooptantur, ex populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione adleguntur* (ibid.).

Est igitur lex ecclesiastica *Principum ecclesiasticorum praeceptum, commune, perpetuum, ad bonum subditorum promulgatum. Principem* eum dicimus, ad quem pertinet plena regiminis seu iurisdictionis (cfr. can. 196) potestas, suprema aut subordinata, quae triplex est: legislativa, iudiciaria, executiva. Potestas vero, quae uni Principi singillatim spectat, spectat etiam pluribus simul congregatis atque iis, cui delegata est ad normam iuris. Proinde, praeter Romanum Pontificem, Principibus ecclesiasticis accensentur Legati, Administratores, Vicarii, Praefecti Apostolici atque horum Pro-vicarii ac Pro-praefecti, Vicario aut Praefecto deficiente; praeterea Episcopi residentiales atque Abbates ac Praelati *nullius* sive seorsim sive coniunctim in Conciliis oecumenicis (cum R. P. eiusve Legato), plenariis, provincialibus, quique iisdem propter officium aequiparantur: Capitula cathedralia sede vacante et Vicario Capitulari nondum electo, deinde Vicarii capitulares; denique supremi religionum exemptarum virorum Moderatores atque deputati ad Capitula generalia ad normam constitutionum. Ceteri Superiores ecclesiastici, potestate tantum dominativa fruuntur, eaque non publica, sed privata est, atque

vel ex iure naturae, veluti patria potestas, vel ex pacto profluit, veluti in societate herili aut religione. Quare eiusmodi Superiores praecepta quidem dare possunt, leges ferre non possunt. *Praeceptum* dicimus, non id quod petitur aut suadetur, sed quod ita iubetur, uti qui iussus est parere teneatur. *Commune* id dicimus, quod ad omnes spectat, videlicet communitatis vel coetus alicuius: proinde excluditur singularis persona. Tamen illud etiam ius, quod singulari personae constituitur, communitatem universam aliquo modo tenet: sive enim quid iubeatur, vetetur, permittatur; sive poena irrogetur, omnibus sane et constitutum ius non impediendi implicite praecipitur et eius consequentiis fruendi permittitur. *Perpetuum* dicimus id, quod per se durat sine temporis limitatione, et ideo lex non cessat ferentis iure resoluto, proindeque excluduntur communitates, quae natura sua perpetuae non sunt, prout est ex. c. familia. *Ad bonum* dicimus, idest habita ratione finis. Quare lex, ut ait D. Thomas (Ia IIae p. q. 90 art. 4), sit oportet *quaedam rationis ordinatio*: oportet nempe, ex Isidoro Hispalen. (lib. V *Etymol.* cap. 3), *quod religioni congruat, in quantum scilicet est proportionata legi divinae; quod disciplinae conveniat, in quantum est proportionata legi naturae; quod saluti proficiat, in quantum est proportionata utilitati humanae* (ibid. q. 95 art. 3). *Subditos* eos dicimus, qui Principi ecclesiastico ratione eius iurisdictionis sive territorialis sive personalis parere tenentur: nam in eos qui, quavis de causa, non tenentur parere, lex ferri non potest. *Promulgatum* dicimus, quod publice manifestatur. Ex eo autem lex oportet publice manifestari, quod sit commune praeceptum: ideoque, ut ait Gratianus, tunc *leges instituuntur, cum promulgantur* (C. 3 D. IV). Non igitur promulgatio ad essentiam, sed potius ad existentiam legis pertinet.

Legum vero ecclesiasticarum aliae sunt territoriales, alia personales (cfr. comment. ad can. 8); aliae universales, aliae particulares (cfr. comment. ad can. 6); aliae generales sunt, aliae pro peculiari territorio conduntur (cfr. comment. ad can. 13); aliae denique praecipiunt, permittunt, vetant aliquid fieri aut contra facientem puniunt, aliae (cfr. comment. ad can. 11) inhabilitant personam aut irritant actus personarum.

At quaenam tandem positio legum ecclesiasticarum, si ad leges civiles referantur? Quaestio prolixior: haec tamen tenenda videntur. Iure divino leges civiles ecclesiasticis indirecte subiiciuntur: oportet enim ea, quae temporalem hominum salutem respiciunt, iis cedant, quae pertinent ad salutem aeternam.

Iure autem divino praetermisso, in tantum leges ecclesiasticae apud civilem auctoritatem valent, in quantum lege civili recognoscuntur. Hinc, aut leges ecclesiasticae vel, quod in idem redit, Ecclesiae potestas legislativa recognoscuntur, aut minus: si primum, vel per actum

bilateralem (cfr. comment. ad can. 3) id fit, idest concordatum (1), vel per actum unilateralem, idest per legem Status fundamentalem (2) aut per legem specialem (3), et tenori legis aut concordati standum est; si alterum, actu positivo Status deficiente, Ecclesiae leges iure gentium sustinentur.

Siquidem societas, quae gaudet personalitate internationali, omnibus etiam facultatibus supremae potestatis (*sovranità, souveraineté*) frui-

---

(1) Concordatorum alia sunt generalia, alia specialia. In hisce Status nullam contrahit obligationem quoad iura generalia Ecclesiae, sed solummodo quaestio aliqua, forte exorta, mutuo consensu resolvitur (cfr. Mercati, *Raccolta di concord. su materie ecclesiastiche:* Concordatum inter Pium Pp. IX et Guilelmum I Würtembergi Regem, 8 apr. 1857; inter Leonem XIII et Consilium foederale Helvetiae, 1 sept. 1884 et 19 mart. 1888, etc.). Contra, in concordatis generalibus principia affirmantur. Ita ex. c. in concordato inter Pium Pp. IX et Elisabeth II Hispaniarum Reginam (16 mart. 1851) haec habentur: *Art. 1. - Religio Catholica Apostolica Romana, quae excluso quocumque alio cultu esse pergit sola Religio Hispanicae Nationis, conservabitur semper in tota ditione Catholicae Maiestatis Suae cum omnibus iuribus ac praerogativis, quibus potiri debet iuxta Dei legem et canonicas sanctiones. — Art. 43 - Cetera ad res et personas ecclesiasticas pertinentia, super quibus provisum non est articulis praecedentibus, dirigentur omnia et administrabuntur iuxta canonice vigentem Ecclesiae disciplinam. — Art. 45 - Per sollemnem hanc conventionem Leges, Ordinationes et Decreta quovis modo et forma in Hispaniarum dominiis hactenus lata, in quantum illi adversantur, abrogata habebuntur: ipsaque conventio ut Lex Status deinceps eisdem in dominiis perpetuo vigebit* (Mercati, *Raccolta* etc. pag. 771 et 795). Vel etiam in concordato inter eundem Pontificem et Praesidem Reipublicae Aequatoris (2 maii 1881): *Art. 1. - Religio Catholica Apostolica Romana esse perget Religio Reipublicae Aequatoris atque inibi sarta tecta perpetuo conservabitur cum omnibus iis iuribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus. — Art. 23 - Cetera quae ad personas et res ecclesiasticas pertinent, quorum nulla in his articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur, iuxta canonicam et vigentem Ecclesiae disciplinam a Sancta Sede adprobatam. — Art. 24 - Per hanc Conventionem leges et decreta quovis modo et forma in Republica Aequatoris hactenus lata, in quantum eidem Conventioni adversantur abrogata habentur, atque haec unice Conventio ut lex Status deinceps semper habebitur* (Mercati, *Raccolta* etc. pag. 1002, 1012 et 1013).

(2) Ita in Charta constitutionali Lusitana (29 aug. 1826) Tit. I n. 6: *Religio catholica, apostolica, romana, religio Regni esse perget.* (Brunialti, *Diritto amministr. e costituz.* vol. 2 pag. 702) — Vel etiam Statutum constitutionale italicum (4 mart. 1848): *Art. 1. — Religio Catholica, Apostolica, Romana est unica Status Religio. Ceteri cultus, qui nunc extant, tolerantur in quantum legibus non adversentur.* Quem articulum postea interpretatione restrictiva ita legislator explicavit, ut solummodo significaret, quoties religiosas caeremonias adhiberi oporteret, Statum uti debere cultu catholico.

(3) Apud nos ex. c. lata est lex *de praerogativis Summi Pontificis et Sanctae Sedis* (13 maii 1871), ubi, inter alia, haec habentur: *Art. 9. - Summus Pontifex in suo spirituali ministerio exercendo plena libertate gaudet actaque* (S. Sedis), *ut ad*

tur (4) ideoque et leges ferendi. Est autem Ecclesia catholica persona internationalis, nam, ut ait Fiore (*Dir. internaz. pubbl.* Sez. IV § 686), *omnia habet requisita, quae ad personam pertinent, individuitatem nempe atque propriae iuridicae actionis ambitum a fine suo peculiari determinatum.*

Sed quid auctoritatibus opus est, cum una Ecclesia catholica, dum civiles identidem societates et nascuntur et pereunt, inter hostiles aggressiones immobilis perseveret? Quod si Ecclesiae negaveris, cuius territorium orbis terrarum, cuius subditi tanta pars humani generis, cuius finis et unicus et supremus, cuius unum Caput atque una fides, cuinam tandem concedes rationem personalitatis internationalis?

In titulo Legislator agit de legum ecclesiasticarum institutione ac natura (can. 8 et 9), obiecto (can. 10 et 11), subiecto (can. 12-14), obligatione (can. 15 et 16), interpretatione (can. 17-20), cessatione (can. 21-23) ac demum de praeceptis ecclesiasticis (can. 24).

CAN. 8.

§ 1. *Leges instituuntur, cum promulgantur.*

§ 2. *Lex non praesumitur personalis, sed territorialis, nisi aliud constet.*

Primo hoc canone tituli edicitur quemadmodum leges ecclesiasticae esse incipiant et quousque extendere praesumantur vim ac potestatem suam.

1. *Leges* . . . . idest *communia praecepta*: de praeceptis vero, quae *singulis* dantur ab iis etiam, qui sola potestate dominativa (cfr. Introduct. Tit.) fruuntur, cfr. can. 24. — *instituuntur* . . . . Instituere idem est ac *in* loco *statuere*, ponere, collocare; et inde accipitur pro *decernere, inducere, facere, creare.* Unde Ovidius (*I Metamorph.* 446):

instituit sacros celebri carmine ludos.

---

valvas basilicarum atque ecclesiarum Urbis affigantur, praecipere potest: quibus verbis Ecclesiae potestas legislativa aperte recognoscitur. Deinde art. 17: *In materia spirituali ac disciplinari neque recursus admittitur, neque appellatio contra acta auctoritatum ecclesiasticarum, neque* (vicissim) *coactiva executio iisdem conceditur . . . Eiusmodi tamen acta effectu carent, si Status legibus adversentur*, etc. Quibus sane verbis, quamvis acriter coarctetur, simul tamen recognita potestas confirmatur. Quare nihil mirum, si Ecclesiae leges, uti iurisperiti communiter docent (cfr. Simoncelli, *Lezioni di dir. eccles.* p. 45), a civilibus tribunalibus habendae sint tanquam ius obiectivum, et iurisprudentia teneat *violationem regularum iuris canonici, quae bullis, instructionibus, decretis pontificiis continentur, apud tribunal Cassationis posse denunciari* (Tribun. Cassas. Rom. 30 oct. 1914).

(4) Fiore (*Il diritto internazionale codific.* n. 189): *Quaelibet suprema potestas* (souveraineté) *valet omnino independenter leges ferre, immutare, iisdemque personas, bona, actus, facta iuridica subiicere, dummodo suam potestatem exerceat intra ambitum iuridicum et salvo iure internationali.*

Et Cicero (XIII *ad Famil.* 61): *Qui me cum tutorem, tum etiam secundum heredem instituerat. — promulgantur* .... Promulgo (a *pro* et *mulgo*) *palam edo, propono, divulgo* significat: et dicitur fere semper de legibus. Quare Festus (*de verbor. signific.*): *Promulgari leges dicuntur, cum primum in vulgus eduntur, quasi provulgari. Neque* igitur, ut ait Innocentius Pp. III (c. 1, X *de postul. praelator.* I, 5), *est necessarium, cum constitutio solenniter editur ipsius notitiam singulorum auribus per speciale mandatum vel literas inculcare; sed id solum sufficit, ut ad eius observantiam teneatur, qui noverit eam publice promulgatam.*

Lex non praesumitur personalis .... Personalis dicitur, quod ad physicam personam pertinet. Unde, quamvis omnes leges in personas ferantur et extra personas proprie intelligi non possint, tamen aliae censentur personas subditorum directe afficere, aliae indirecte, idest per territorium. Et est haec differentia maximi momenti, nam leges personales, cum personam directe afficiant, eam quoque sequuntur ac ubique tenent, sive ubique impleri possint, veluti lex audiendi Missam, sive impleri possint solummodo in determinato territorio, veluti lex residentiae beneficiariorum. — *sed territorialis* .... quae scilicet non personam, sed peculiare territorium directe afficere censetur et per territorium personas, quae propter domicilium aut quasi-domicilium eidem quodammodo adstrictae sunt. Proinde huiusmodi leges, nedum in territorio tantum impleri possunt, sed praeterea vim suam non extendunt extra territorium illud. Tota igitur ratio personalitatis legum in natura obligationis consistit: quare lex, quae personam tenet per territorium, territorio coarctatur et extra territorium non existit diciturque territorialis; contra, quae personam directe tenet, personam sequitur ac tenet ubique, et est personalis. Quod autem extra determinatum territorium impleri non possit, nihil refert, dummodo obligatio legem ibi adimplendi ubique teneat. — *nisi aliud constet* .... et constare potest sive ex rerum natura sive ex tenore legis. Itaque leges generales, itemque particulares quae in communitatem personalem, veluti religionem exemptam, feruntur, personales sunt, nisi ex legis tenore aliud appareat, uti ex. c. contingit de lege generali quae habetur can. 238 § 3, per quam S. R. E. Cardinales, qui simul sint Episcopi residentiales dioecesis non suburbicariae, quoties ad Urbem venerint, R. P. adire iubentur, eiusque, antequam ab Urbe discedant, licentiam impetrare. Sed etiam in communitatem territorialem, prout est dioecesis aut provincia ecclesiastica, nedum a R. P., verum ab inferiore quoque legislatore, leges personales ferri posse videntur post Codicem promulgatum. Ait enim can. 201 § 3: *Nisi aliud ex rerum natura aut ex iure constet, potestatem iurisdictionis voluntariam quis exercere potest etiam in subditum e territorio absentem.* Scilicet Legislator permittit, ut habentes iurisdictionem intra determinatum territorium, potestatem quae pertinet ad iurisdictionem volun-

tariam etiam in subditum e territorio absentem exercere possint, nisi aut ius vetet aut natura rerum non patiatur. Age modo: quamnam potestatem exercere possunt? Quamlibet, modo ad iurisdictionem voluntariam seu extraiudicialem, pertineat. Lex non distinguit: ergo et potestam legislativam. At quomodo potestas legislativa in absentem subditum exerceri potest? Nonnisi per legem personalem. Sed quid natura rerum, quid ius? Num obstant? Non videtur. Nam, si ex rerum natura lex personalis cum iurisdictione territoriali consistere non posset in Ecclesia Latina, neque posset in Orientali. — Praeterea: potissima ratio, quare legi subsum, haec est, quod subditus sum legislatoris: subditus autem fio non per actualem praesentiam, sed per domicilium aut quasi-domicilium, et proinde actualis commoratio quid accessorium est. — Amplius: si quid ex rerum natura constat, profecto est opportunitas plures iuris fictiones eliminandi, ad quas ante Codicem confugere debebant, ut leges territoriales in tuto collocarent, quoquot erant, qui Episcopis potestatem negabant leges personales ferendi. Non ergo videtur rerum natura obstare. Sed neque ius. Codex enim implicite favet sententiae nostrae. Revera, tum canone 8 § 2, tum 14 § 1, n. 1, cum distinguere facile esset, id Legislator facere noluit, ita ut quis inferre possit, eum ibi nomine legis personalis, tum eas leges intellexisse, quae a R. P. constituuntur speciatim pro peculiari territorio, tum eas, quae a legislatore territoriali constitutae sunt.

2. Tunc igitur leges ecclesiasticae instituuntur, cum a Principe, idest ab eo, qui plena fruatur regiminis potestate (cfr. Introduct. Tit.), promulgantur: ante promulgationem non sunt, postea sunt, lex enim ecclesiastica tota pendet a voluntate legislatoris, quae cum fuerit manifesta, lex ut instituta a subditis cunctis haberi debet. Quamvis enim, ut ait Gratianus (C. 3 D. IV), *leges firmentur, cum moribus utentium comprobantur*, ex eo minime sequitur, uti docuerunt regalistae, quos plus minusve protestantes et gallicani secuti sunt, requiri, ut lex instituta censeatur, populi consensus; nam aliud est *firmari*, aliud *institui*. Quod si fortasse adsit in communitate legitima consuetudo, legem generalem aut etiam particularem non acceptandi, nisi Princeps speciatim pro ea communitate promulget (cfr. Suarez, l. III *de legibus* c. 19 n. 4), haec quoque apparens exceptio, cum quaevis *consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis Superioris unice obtineat* (can. 25), refunditur in voluntatem legislatoris, a qua pendet (cfr. Introduct. Tit.) quidquid habet rationem legis: ex iure enim divino nulla ecclesiastica iurisdictio (ibid.) ad popolum pertinet.

Deinde, cum lex promulgata fuerit, semper praesumitur territorialis, donec personalem eam esse evidenter constet. Et merito, nam lex territorialis est favorabilior et *favores convenit ampliari* (R. 15 R. J. in IV).

Can. 9.

Leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in « Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali » nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exerunt tantum expletis tribus mensibus a die, qui « Actorum » numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta.

Hoc canone Legislator significat, quandonam et promulgatae censendae sint et obligare incipiant leges Ap. Sedis.

1. *Leges ab Apostolica Sede latae...* De ceteris legibus suis locis — *alius promulgandi modus...* Ita ex. c. Secretaria Status, 26 dec. 1913 declaravit, *omnes ac singulas constitutiones ac leges in quatuor actorum Pii Pp. X voluminibus contentas, plenissime promulgatas habendas esse, perinde ac si in commentario officiali « Acta Ap. Sedis » insertae verbo ad verbum fuissent. — a die, qui « Actorum » numero appositus est...* videlicet a die, qui appositus est tegumento eius numeri seu fasciculi, quo lex continetur. Unde, si ex. c. fasciculi tegumento inscriptus sit dies 25 octobris, leges, quae fasciculo continentur, obligare incipient initio diei 25 proximi mensis ianuarii (cfr. can. 34 § 3 n. 2) — *nisi ex natura rei illico ligent...* Ex natura autem rei illico ligant leges ius divinum proponentes, quod ius, sicut dispensari non potest, neque potest suspendi; vel etiam leges ius mere ecclesiasticum in se certum authentice declarantes (cfr. comment. ad can. 17 n. 2).

2. Canonis prima pars resumit Pii Pp. X constitutionem *Promulgandi* (29 sept. 1908). Et omnia sunt plana.

Can. 10.

Leges respiciunt futura, non praeterita, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur.

Hoc et subsequenti canone quaedam statuuntur de obiecto legum ecclesiasticarum: et primum, quod praeterita non respiciant. Canon, uti diximus, est can. 4 parallelus. Haec tantummodo interest differentia: ille rem considerabat ex parte facti iuridici, hic ex parte legis; ille ad unum Codicem spectabat, hic ad omnes leges sive generales sive particulares, quae post Codicem ferentur.

1. *Leges respiciunt futura...* idest facta iuridica atque iura inde acquisita aut amissa et generatim subditorum actus, qui post legem latam perficiuntur. Varia autem sunt praesertim factorum iuridicorum genera, quae breviter expendere oportet, ut canonis sententia satis clare aperiatur. — Sunt igitur facta iuridica, quae in instanti substantialiter

perficiuntur, veluti ex. c. delegatio iurisdictionis, et de his expedita res est: cum enim nova lex obligare incipit, vel iam peractum est, et tunc iura inde quaesita veteri iure reguntur; vel peractum non est, et tunc cum peractum fuerit novae legi subiacebit. Capacitas vero agendi, nec non sollemnia, a iure forte requisita, positionem actus sequuntur, ideoque legi tunc vigenti, cum factum iuridicum peractum est, subduntur. Ita, Codice promulgato, delegatio iurisdictionis quae antea facta fuerit, iure veteri regitur; quae postea, Codicis canonibus. — Sed sunt etiam facta iuridica, quae perficiuntur temporis intervallo, quod quidem requiritur tanquam eorum substantiale elementum, prout contingit ex. c. in consuetudine atque praescriptione. Tum vero nova lex vel ante inceptum fertur, aut post expletum temporis intervallum, vel cum tempus et iam incepit et nondum expletum est, ex. c. ad praescribendum requisitum. Si primum, planum est legem in factum iuridicum suum imperium exercere; si vero alterum et, factum iuridicum et iura inde quaesita aut amissa regi veteri iure. At quid de nova lege, quae lata fuerit tempore incepto, sed minime completo? Tum haec contingere possunt: aut lex quasdam ex. c. praescriptiones antea usitatas abrogat: et tunc actum est de eis, quamvis iam inceptae fuerint; aut lex novas introducit, vel veteres praescriptiones ad alios casus extendit: et tunc qui antea his in casibus, lege deficiente, sine ullo iuridico effectu possederant aut quasi-possederant vel quorum actiones eadem de causa praescribi non potuerant, statim ac nova lex lata fuerit, iuridice possidere aut quasi-possidere eorumve actiones praescribi incipient, nec tempus antea elapsum computabitur; aut modum quo antea praescriptio interrumpebatur immutat, id est vel veterem abrogat vel novum introducit: et tunc nova lex statim omnibus praescriptionibus applicari debet; aut tempus ad praescribendum antea requisitum protrahit: et tunc praescriptio et ipsa eatenus protrahenda est, quatenus tempus, nova lege statutum, compleatur; aut denique tempus coarctat: et tunc inceptis praescriptionibus novum ius vel vetus, prout libet, applicari potest; si tamen novum applicetur, ne adversarius ex coarctato tempore damnum iniustum patiatur, praescriptio denuo incipere debet (cfr. Savigny, *System*, etc. § 391). Ita ante Codicem actionibus de rebus immobilibus ecclesiarum (Romana excepta), ex c. 6 *de praescript.* II, 26 in VI, intervallo quadraginta annorum praescribebatur (Schmalzgrueber III, 26, 6*de praescript.* — Sebastianelli II, n. 400 *de praescript.*). Codex vero (cfr. can. 1511 § 2) tempus, ad praescribendum actionibus universis harum ecclesiarum antea requisitum, coarctavit ad annos triginta. Quid ergo de his actionibus, quibus die 19 maii 1918 nondum praescriptum erat? Qui illarum ecclesiarum bona immobilia, vigente veteri iure, usucapere inceperant, ut earum actionibus legitime praescriptum censeatur, antiquo vel novo iure, prout magis placuerit, uti

possunt: tamen si Codicem sequi maluerint, praescriptio denuo incipiat necesse est, ne ecclesiis illis tempus iniuste subtrahatur sua iura tuendi. In summa, in facta iuridica, quibus tempus et essentiale est et impletum non est, nova lex, statim ac lata fuerit, suum imperium exercet: et recte, nam eiusmodi facta, donec tempus impletum sit, nihil sunt, ideoque nulla iura iisdem acquiruntur; tamen excipienda est lex tempus coarctans: haec enim sine iniuria eorum, quorum interest, suum imperium non exerceret. — Denique sunt facta iuridica, quae ideo temporis intervallo perficiuntur, quia constant pluribus actibus, iisque essentialibus, qui in instanti fieri non possunt: et tunc per quodcumque istorum actuum ius acquiritur. Quare, etsi unus tantum positus fuerit, nihil iam amplius potest nova lex, quae postea lata sit et forte deroget veteri iuri, sed totum negotium perficiendum est ad tramitem eius iuris, quo est inceptum. Ita, si ex. c. clericus ad beneficium electus fuerit, sed nondum acceptaverit; itemque si acceptaverit, sed nondum confirmatus fuerit: electio, Codice promulgato et quidquid de his electionibus Legislator statuerit, acceptari aut minus debet, itemque confirmari aut repelli iuxta veteris iuris praescriptum. Nam, tum ex electione, tum ex eius acceptatione legitime peractis, electus iura sibi quaesivit, quae et integra manere debent (cfr. comment. ad can. 4) et iisdem normis, quibus quaesita sunt, compleri. — *nisi nominatim* ... idest, proprie, *nomen enunciando* et inde etiam *expresse loquendo.* Hinc Cicero (III *offic.* 16): *Quidquid esset in praedio vitii, id statuerunt, si venditor sciret, nisi nominatim dictum esset, praestari oportere. — de praeteritis caveatur* ... Scilicet summus Princeps facultatem sibi inferioribusque legislatoribus reservat leges condendi, quae etiam praeterita respiciant. Quae tamen verba non ita intelligenda sunt, ut ipsa facta iuridica, ad normam veteris iuris peracta, censeantur per ius novum posse submoveri: quod enim legitime factum est, id, legitime, infectum fieri non potest; verum significant, posse novam legem eorumdem factorum effectus tunc extantes augere, minuere, immutare, prorsus etiam tollere, si publica utilitas id requirat. Et ita Bonifacius Pp. VIII, legem ferens de potestate Legatorum Ap. Sedis, praecepit, ut extenderetur *non solum ad futura, sed etiam ad praeterita et adhuc pendentia negotia* (c. 4 *de officio legati* I, 15 in VI°). Et Clemens Pp. V, in decretali de modo procedendi in causis beneficialibus, matrimonialibus, decimarum et usurarum: *Volentes non solum ad futura negotia, sed ad praesentia et adhuc, etiam per appellationem, pendentia hoc extendi* (c. 2 *de iudiciis* II, in Clem.). Eodemque modo idem Pontifex in decretalibus c. un. *de probation.* II, 2 (ibid.) et c. 1 *de sentent. excommun.* etc. V, 10 (ibid.). Et S. C. Indulgentiarum (21 iun. 1393): *Habet vim retroactivam decretum ab hac S. C. editum sub die 31 ianuar. huius decurrentis anni, quoad dubium IX, in quo quaerebatur: An fideles qui inter Tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, co-*

optari etiam valeant inter Tertiarios alterius Ordinis — et cui responsum est: Negative.

2. Leges igitur praeterita non respiciunt: nam non oportet defraudari, qui legibus confidit, *ne*, scilicet, ut ait Gregorius Pp. IX (c. 2, X *de constitution.* I, 2), *detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere. Rem enim, quae culpa caret, in damnum vocari non convenit* (cfr. comment ad can. 4). Ceterum fere impossibite esset, novam legem omnibus iuribus, quae facto aliquo iuridico antea quaesita sunt aut amissa, logice et iuste posse applicari, et ideo solummodo publica necessitas eiusmodi legem iustam facere posset.

Quare nihil mirum, si tum ius nostrum tum ius civile, recentissimum, tanquam commune principium habeant illud Iustiniani Augusti: *Leges futuris certum est dare formam negotiis, non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim etiam de praeterito tempore adhuc pendentibus negotiis cautum sit.* (l. 7 C. I, 14).

3. *Adeoque lex non potest trahi ad praeterita* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 167 n. 17 p. 7). *Limita* tamen *quando lex nova procedit per viam declarationis, quia tunc comprehendit et casus praeteritos seu de praeterito causam habentes* (ibid. decis. 216 n. 5 p. 8 et alibi); vel, *si respiciat executionem actus successive faciendi, ut illum comprehendat, quamvis factum ex causa de praeterito* (ibid. decis. 36 n. 15 p. 5 t. I et alibi): *factum etenim de praeterito exquirens perfectionem de futuro, legi noviter editae subiacet* (ibid. decis. 10 n. 3 p. 13); vel etiam, *ut lex nova non comprehendat actum de futuro, data connexitate et dependentia ab actu de praeterito* (ibid. decis. 348 n. 9 p. 4 t. II). Ceterum constat *legem respicientem praeterita nunquam tollere ius quaesitum, maxime si admittantur alia specialia* (ibid. decis. 36 n. 23 p. 5 t. II): *et sic lex vel statutum, si vetant aliquid de novo acquiri, non prohibent acquisitionem iam factam retinere* (ibid. decis. 112, n. 3 p. 15).

Can. 11.

Irritantes aut inhabilitantes eae tantum leges habendae sunt, quibus aut actum esse nullum aut inhabilem esse personam expresse vel aequivalenter statuitur.

Canon habendus est tanquam authentica interpretatio declarativa circa obiectum omnium legum ecclesiasticarum.

1. *Irritantes aut inhabilitantes. Irrito* perinde est ac *irritum reddo*, idest nullius momenti, et ab *irritus* (in-ratus) originem ducit, scilicet *non ratus, inutilis, effectu carens.* Quare Cicero (IV *in Verrem*, 57): *Ea quae in magistratu gessisti, sustulit atque irrita iussit esse.* Et (II *de legibus*, 8): *Quae augur iniusta, vitiosa, dira defixerit, irrita infectaque*

sunto. Verum, diligenter distinguenda est lex irritans a lege inhabilitanti: haec enim respicit personam, illa actus personarum. Nimirum inhabilitans ea lex dicitur, quae ad ineundos quosdam actus ita aliquem facit inidoneum, ut eiusmodi actus, quamvis per se validi essent, invalidi fiant eo quod a tali persona peraguntur, veluti si clericus in sacris matrimonium contraxerit. Ex adverso irritans ea dicitur lex, quae quosdam actus invalidos esse iubet, a quacumque persona peragantur, veluti matrimonium si forma negligatur. — *eae tantum leges...* idest non leges omnes, quae aliquid fieri vetant — *expresse vel aequivalenter...* Expresse ex. c. statuitur can. 1067 per verba: *matrimonium validum inire non possunt;* aequivalenter vero can. 1074 § 1: *nullum potest consistere matrimonium.* At quid de fundamento harum legum? Num innituntur praesumptione facti vel potius praesumptione periculi? Est quaestio magni momenti (cfr. comment. ad can. 21): nam, si primum, facto in casu peculiari non extante, lex potest non urgere; si vero alterum, urget. Sane et quaestio subtilis et divisae opiniones iurisperitorum; quare, in praxi, ante iudicis sententiam possessori favendum est (cfr. D'Annibale, *Summula*, I n. 212): *potior est* enim *in re pari causa possessoris* (fr. 36 D. XXIX, 1).

2. Canon ampliori explanatione non indiget. At cur Codici insertus? Iure civili, quod tempore iurisconsultorum romanorum vigebat, ea lex perfecta habebatur, quae *et vetabat aliquid fieri et si factum fuisset rescindebat* (Ulpianus, *de legibus,* fr. 2). Postea vero per authenticam interpretationem Theodosii et Valentiniani Aug. cautum est, *ut ea, quae prohibebantur, si fuissent facta, pro infectis haberentur, licet legislator fieri prohibuisset tantum* (l. 5 C. I, 14). Haec autem lex in corpus iuris canonici recepta est tanquam R. 64 R. J. in VI: *Quae contra ius fiunt debent utique pro infectis haberi.* Et quamvis in praxi (secus ac nostrae aetatis ius civile) regula strictissimae interpretationi subiiceretur, ita ut antiquior potius regula obtineret: *Multa fieri prohibentur, quae, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem* (c. 16 X *de regularibus,* III 31), et eismodi sententia communissima evaserit (D'Annibale, ibid. 210); tamen omne prorsus dubium auferre voluit Legislator. Et inde canon derivasse videtur.

Can. 12.

Legibus mere ecclesiasticis non tenentur qui baptismum non receperunt, nec baptizati qui sufficienti rationis usu non gaudent, nec qui, licet rationis usum assecuti, septimum aetatis annum nondum expleverunt, nisi aliud iure expresse caveatur.

1. *Legibus mere ecclesiasticis...* Legislator non loquitur de iure divino naturali, quo omnes indiscriminatim tenentur; neque de iure divino

positivo, cui nedum Ecclesiae subditi, sed infideles etiam subiiciuntur, quamvis non eodem modo (5): verum loquitur de legibus, quae *praeter* ius divinum positivum et *secundum* ius naturae ab Ecclesia feruntur — *qui baptismum...* scilicet validum: *Baptismate enim constituitur homo in Ecclesia Christi persona* (can. 37). Baptisma autem triplex: *aquae, flaminis, sanguinis.* Primum tantum, quod unum sacramentum est, characterem imprimit militantis Ecclesiæ, et ideo de uno *aquae* baptismo loquitur canon (cfr. comment. ad can. 87) — *non receperunt...* infideles nempe, et si cathecumeni, usque dum eis baptisma fuerit collatum: exinde vero quoad vixerint, quis subditus Ecclesiae fit legibusque eius, mere etiam ecclesiasticis, plene subiicitur, quamvis apostata, haereticus, schismaticus, nisi intercesserit expressa aut tacita dispensatio vel consuetudo legitime inducta. Ita ex. c. *acatholici* (valide) *baptizati, quoties cum parte acatholica contrahere velint,* per can. 1099 § 2 a forma matrimonii expresse dispensantur. — *qui sufficienti rationis usu...* Potest quis carere aut rationis usu aut usu sufficienti. Rationis usu caret, qui nondum est adeptus, ut infans; vel qui nunquam est adepturus ut idiota. Caret vero usu sufficienti qui, quamvis usum rationis adeptus sit, habitualiter tamen insanit et proinde, *cum stabili regula dirigi non possit ad communem societatis finem* (Bucceroni, *Institutiones theol. mor.* I, 193), quoad leges servandas infantibus aequiparatur. — *nondum expleverunt...* scilicet oportet septennium esse completum. — *nisi aliud iure expresse caveatur...* Et aliud expresse cavetur ex. c. can. 859, § 1 et can. 906; ideoque ad dubium *utrum pueri, qui, etsi septimum aetatis annum nondum expleverunt, tamen, ob aetatem discretionis seu usum rationis, ad primam Communionem admissi iam fuerint, teneantur duplici praecepto confessionis saltem semel in anno, et communionis semel in anno, saltem in Paschate,* die 3 ianuar. 1918, Pontif. Commissio, Codici interpretando praeposita, respondit: *affirmative.*

2. Ex canone igitur, nisi aliud iure expresse caveatur, ut quis legibus mere ecclesiasticis teneatur, oportet et sit baptizatus et fruatur sufficienti rationis usu et septennium expleverit.

Primae vero et alterius conditionis ratio a natura legis mere ecclesiasticae descendit, quae cum sit *praeceptum* (vel, ut habet Aquinas, *ordinatio rationis*) *ad bonum commune subditorum,* eos sane tenere non potest, qui legislatori subditi non sunt, quibusve ob rationis defectum praecipi non potest.

Quoad tertiam autem conditionem, canonis praescriptum fundatur

---

(5) *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis* (Matth. XXVIII, 19 et 20). Tenentur igitur infideles lege divina positiva amplectendi fidem ac baptismum suscipiendi: quo suscepto, legibus omnibus divinis positivis subiiciuntur.

in praesumptione facti: communiter enim, septennio a nativitate elapso, rationis usum homines assecuti sunt.

3. Hinc *constat baptismi ministrum iudicem esse non oportere, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus* (Conc. Trident. sess. XIV, *de poenitentia*, c. 2). Ita *matrimonium ante conversionem contractum, non est post baptismi lavacrum separandum*, quamvis *infideles coniuncti* sint *in grado prohibito a lege canonica* (c. 4 X, *de consanguinitate et affinitate*, IV, 14). Eodemque modo *matrimonium ratum non consummatum paganorum non producit honestatem publicam, neque proinde censetur impedimentum dirimens post eorum conversionem* (S. C. S. Off. 19 apr. 1837). Item eadem S. Congregatio, die 26 aug. 1891, respondit, *affinitatem, quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula tum licita tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis, que in infidelitate ineuntur: evadere tamen impedimentum pro matrimoniis, quae ineuntur post baptismum, quo suscepto infideles fiunt subditi Ecclesiae, eiusque proinde legibus subiecti.* Quare etiam *vir infidelis*, qui *ante baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius, cui, annuente muliere fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit, post utriusque baptismum non potest matrimonium inire cum dicta muliere* (S. C. de Prop. Fide, 23 aug. 1852 ad 5).

Can. 13

§ 1. *Legibus generalibus tenentur ubique terrarum omnes pro quibus latae sunt.*

§ 2. *Legibus conditis pro peculiari territorio ii subiciuntur pro quibus latae sunt quique ibidem domicilium vel quasi-domicilium habent et simul actu commorantur, firmo praescripto can.* 14.

Canon determinat subiectum legum ecclesiasticarum, earundem extensionis habita ratione.

1. *Legibus generalibus* .... Legum disciplinarium Ecclesiae Latinae eae generales sunt, quae Codice continentur vel etiam continebuntur: nam *sacrae Romanae Congregationes nova Decreta generalia iamnunc ferre vetantur, et si quando, decursu temporum, Ecclesiae bonum postulabit, ut novum generale Decretum condatur, novi canones sunt in Codicem inserendi* (Benedictus p.p. XV, motu propr. *Cum iuris*, 15 sept. 1917). — *tenentur ubique terrarum* .... perinde ac legibus personalibus — *pro quibus latae sunt* .... prout nempe ex Codice apparet: quare Concilia oecumenica, S. R. E. Cardinales, Curia Romana, Ap. Sedis Legati, Episcopi, Capitula, Parochi, clerici omnes aut populus fidelis universus, iis quisque legibus generalibus ubique tenetur, quae pro communitate vel coetu quolibet latae sunt ab Ap. Sede.

Legibus conditis pro peculiari territorio .... Aliud est lex condita pro

peculiari territorio, aliud lex territorialis: haec enim personali contraponitur et ideo personalis esse non potest, potest tamen esse generalis, uti supra (cfr. comment. ad can. 8 n. 1) diximus de lege in canone 238, § 3 contenta; illa contraponitur generali, ideoque nunquam generalis esse potest, quamvis, ut etiam supra demonstravimus (ibid.), possit esse personalis: breviter, lex pro peculiari territorio tunc condita esse dicitur, cum non pro toto orbe condita est; dicitur vero territorialis cum fertur ad subditos obligandos in territorio tantum: quae sane idem non sunt. Hinc etiam, leges generales ab una Ap. Sede ferri possunt, dum leges pro peculiari territorio ab inferiori quoque legislatore sive ad modum legis territorialis sive personalis. — *pro quibus latae sunt* .... ex. c. Capitula, parochi, confraternitates, clerus, populus universus unius diœcesis, provinciae ecclesiasticae aut Nationis — *domicilium* .... Ait can. 92: *Domicilium acquiritur commoratione in aliqua paroecia aut quasi-paroecia, aut saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica; quae commoratio vel coniuncta sit cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel sit protracta ad decennium — vel quasi-domicilium* .... Rursus can. 92: *Quasi-domicilium acquiritur commoratione uti supra, quae vel coniuncta sit cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem, si nihil inde avocet, vel sit reapse protracta ad maiorem anni partem. — et simul actu commorantur* .... idest de facto reperiuntur in territorio, in quo domicilium habent aut quasi-domicilium. — *firmo praescripto can. 14* .... scilicet (cfr. comment. ad can. 22 n. 1) quamquam ex hoc canone, ut quis legibus pro peculiari territorio conditis teneatur, ibidem oportet habere domicilium et simul actu commorari, ex praescripto tamen subsequentis can. 14, sunt qui (peregrini) et sui territorii, in quo actu non commorantur, et territorii alieni, in quo nec domicilium habent nec quasi - domicilium, nonnullis legibus teneantur; imo sunt, qui (vagi) teneantur legibus universis pro territorio, in quo versantur, conditis, quamvis nullibi domicilium aut quasi-domicilium habeant.

2. Lex est commune praeceptum latum ad bonum subditorum. Ut quis igitur lege teneatur, oportet et subditus sit legislatoris et lege comprehendatur: haec ratio eorum quae in canone statuuntur.

Cum, nempe, leges generales a R. P., cui omnes fideles subditi sunt, atque pro universa Ecclesia ferantur, patet eos omnes, pro quibus latae sunt, his legibus ubique teneri; contra, cum leges, quae feruntur pro peculiari territorio, tenere non possint nisi eos, qui, ratione territorii illius, subditi sunt legislatoris ac simul in territorio versantur; cumque subditus quis fiat ratione territorii per domicilium aut quasi-domicilium, quibus territorio quodammodo adstringitur: hinc actualis in territorio commoratio non sufficit, ut huiusmodi legibus quis subiiciatur, sed praeterea domicilium requiritur aut quasi-domicilium.

Et hinc etiam descendit, legislatorum R. P. inferiorum leges, nisi personales sint, territorio finiri : siquidem *extra territorium ius dicenti impune non paretur,* quia idem esset *ac si supra iurisdictionem suam ius dicere vellet* (fr. 20 D. II, 1).

Can. 14.

§ 1. *Peregrini* :

1°. *Non adstringuntur legibus particularibus sui territorii quandiu ab eo absunt, nisi aut earum transgressio in proprio territorio noceat, aut leges sint personales ;*

2°. *Neque legibus territorii in quo versantur, iis exceptis quae ordini publico consulunt, vel actuum sollemnia determinant ;*

3°. *At legibus generalibus tenentur etiamsi hae suo in territorio non vigeant, minime vero si in loco in quo versantur non obligent.*

§ 2. *Vagi obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur.*

Canon ea, quae in praecedenti statuta sunt, complet : ibi enim ratio habebatur de iis, qui in territorio sui domicilii (incolae) aut, quasi-domicilii (advenae) versantur; hic de iis, qui aut versantur extra sui domicilii vel quasi-domicilii territorium (peregrini) aut nullibi domicilium vel quasi-domicilium habent (vagi).

1. *Peregrini* .... Ait igitur can. 91 : *Persona dicitur « peregrinus », si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet. — quandiu ab eo absunt* .... quavis de causa, etiam ad eludendam legem quaesita : utuntur enim iure suo, *non autem videtur vim facere qui iure suo utitur* (fr. 155 D. L. 17). — *in proprio territorio noceat* .... cum, nempe, effectus transgressionis legis territorium afficit, puta, si quis extra territorium degens, ephemerides lege episcopali vetitas per dioecesim divulgaret — *personales* .... a quocumque, uti supra diximus (cfr. comment. ad can. 8 n. 1), legislatore latae sint.

Neque legibus territorii .... etsi a R. P. pro peculiari illo territorio conditis — *quae ordini publico consulunt* .... quae videlicet latae sunt ad delicta praevenienda aut punienda — *actuum sollemnia determinant* .... Plurium actuum sollemnia iure territoriali reguntur, praesertim postquam Codex quoad contractus (can. 1529), testamenta (can. 1301, § 2) etc. iuris civilis praescripta recepit, quod sane ius non ubique idem est.

At legibus generalibus .... quae ubique eos tenent, pro quibus latae sunt — *non vigeant* .... *non obligent* .... ex eo, nempe, quod sublatae sint per legitimam consuetudinem, indultum, privilegium, concordatum.

Vagi.... idest qui *nullibi domicilium habent vel quasi-domicilium* (can. 91).

2. In canone Legislator agit de peregrinis et vagis, tum quoad leges ecclesiasticas generales, tum quoad leges pro peculiari territorio latas.

Primum igitur peregrini legibus pro suo territorio latis, quandiu ab eo absunt, minime tenentur, etiamsi ab Ap. Sede latae fuerint. Feruntur enim hae leges a legislatore, cuius iurisdictio territorialis est, et proinde pro territorio tantum ac propter territorii peculiares necessitates: ideoque territorio finiuntur. Excipiendae tamen sunt: 1°) leges personales, quae natura sua personis adhaerent *prout lepra cuti*, easque idcirco sequuntur ubique terrarum; 2°) leges, quarum transgressio in proprio territorio nocet: nam ea esse debet vis iuris territorialis, ut territorium a quovis damno tueatur; ceterum, qui nocet, recte, per factum quo nocet, adesse censetur.

Deinde neque tenentur peregrini legibus territorii, in quo versantur, quamvis ab Ap. Sede latae fuerint: cum enim hae leges, ut supra diximus, pro territorio illo eiusque peculiaribus necessitatibus ferantur, eos tantummodo tenere possunt, qui ei territorio per domicilium aut quasi-domicilium devinciuntur. Atque hic etiam quaedam leges excipiuntur, et 1°) leges, quae ordini publico consulunt. Publicus ordo legibus poenalibus tuetur. Qui autem suo delicto ordinem publicum perturbat, ratione delicti subditus fit Ordinarii loci, in quo delictum patratum est, ibique forum sortitur (can. 1566, § 1). Iure namque et delicta puniri debent et praeveniri et ordo iisdem laesus restitui et legum contempta maiestas vindicari: haec vero apte fieri non possunt, nisi in loco patrati delicti. 2°) Excipiuntur leges, quae actuum sollemnia determinant. Et merito: cum enim sollemnia huiusmodi non ubique eadem sint, iure quoque nostro valet principium: *locus regit actum.*

Denique peregrini legibus generalibus tenentur, quae pro communitate aut coetu, cuius sunt pars, latae fuerint: istae enim leges, nisi per consuetudinem, indultum, privilegium aut concordatum eis aliquatenus derogatum sit, perinde ac si essent personales tenent ubique terrarum. Quod si pro territorio, in quo peregrini versantur, legibus generalibus quibusdam sit derogatum, qua derogatum est, non tenentur: etenim his ideo legibus ubique tenemur, quod ubique vigent; unde, si earum fortasse aliquo in loco quaedam non vigeant, patet nos minime teneri.

Ad vagos autem quod attinet, hi legibus cunctis, quae in territorio vigent obligantur, tum generalibus, tum etiam pro eo territorio latis: *vagi* enim *Ordinarius est Ordinarius loci, in quo actu commoratur* (can. 94 § 2). Et ratio est, quod secus sine lege certa vagarentur.

Quare, hoc canone, *maior et largior auctoritas* supremi Legislatoris,

inferioribus Ordinariis, ita *plus contulit* potestatis, ut nonnullis eorum legibus illi etiam, qui *non* sunt de eorum iurisdictione, tanquam *subditi obligarentur* (c. 21, X *de sentent. excomunicat.* V, 39).

Can. 15.

Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus, in quibus Romanus Pontifex dispensare solet.

Determinato legis subiecto, hoc et consequenti canone Legislator agit de obligatione legis: scilicet statuit quando quis iustam a lege excusationem habere censeatur. Et prius de dubio tum iuris tum facti.

1. *Leges* .... omnes, nulla excepta — *etiam irritantes et inhabilitantes* ... (cfr. comment. ad. can. 11 n. 1.) — *in dubio* ... Dubitatur cum *mens, inter duos contradictionis terminos posita, haeret anceps, idest neutri assentitur, a neutro dissentit* (S. Rota, 11 mart. 1910). Anceps autem mens haeret vel quia neque affirmandi neque negandi ratio subest, et tunc dubium dicitur *negativum* et in ignorantiam recidit; vel quia positiva ratio adest hinc affirmandi, illinc negandi, quae rationes plus minusve mutuo sese elidunt, et tunc dubium *positivum* dicitur, et recidit in opinionem. — Rursus: rerum omnium aut naturam considerare possumus ab eademque fluentes proprietates aut actionem; hanc vero aut qua nuda actio est, aut qua lege aliqua moderatur. Age nunc: si dubitem de rei natura eiusve proprietate, ex. c. num hic cibus sit caro, num hic panis triticeus sit; vel de nuda actione, ex. c. num peccata sua confessum absolverim, num iste puer sit baptizatus: tunc de facto aliquo dubito et *dubio facti* affici dicor. Contra, si dubitem, num ita modo me agere oporteat aut illis in adiunctis oportuerit, idest, num id quod feci aut non feci vel quod facturus aut non facturus sum, sit ab aliqua lege vetitum aut iussum; vel num lex, quam iubere aut vetare scio, esse desierit aut abrogata sit aut ei per consuetudinem, concordatum, indultum, privilegium sit derogatum; vel num hucusque se extendat aut in ea mecum dispensatum sit, ex. c. num his in adiunctis horae canonicae mihi sint recitandae aut matrimonium, quod coram solis testibus contraxi, ratum iustumque sit: tunc de iure dubito et affici dicor *dubio iuris.* — Praeterea dubium quodlibet aut mere *subiectivum* est, menti videlicet inhaeret absque ullo fundamento in rerum natura, idest neque in iure neque in facto: et tunc non dubium est sed ignorantia; aut est *obiectivum*, cum dubium factum aut ius eidem reapse respondeant in rerum natura: et tunc verum et probabile dubium dicendum est. — Denique aut dubium est manifestum, ita ut documento aut testibus in foro externo probari possit, si opus sit probatione, aut mente recon-

ditum et nullis actibus patefactum. — De quo igitur dubio loquitur hic Legislator? In primis non profecto de dubio mente occultum quodque nullimode possit probari: dubium enim huiusmodi nullius momenti est in iure, et moralistis relinquimus; deinde non de dubio mere subiectivo aut negativo, de quo, cum ignorantia potius sit quam dubium, ratio habebitur in canone sequenti: sed de dubio positivo sive iuris sive facti, quod rerum natura reapse innitatur, cui nempe aut lex dubia aut dubium factum respondeant, quodque, si probatione opus sit, in foro externo probari possit. — *non urgent...* idest non obligant, non tenent, vim suam suspendunt, etiam irritandi aut inhabilitandi — *potest dispensare...* hoc est semper potest, saltem *ad cautelam*, quamvis non semper dispensatio requiratur — *in eis...* nempe legibus cunctis certis et claris, quae ad dubium facti referantur — *Ordinarius... In iure*, ait can. 198 § 1, *nomine Ordinarii intelliguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus « nullius » eorumque Vicarius generalis; Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii, qui praedictis deficientibus, interim ex iuris praescripto aut ex probatis consuetudinibus succedunt in regimine; pro suis vero subditis, Superiores maiores in religionibus clericalibus exemptis, nempe* (can. 488 n. 8) *Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis Moderator, Superior provincialis, eorundem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes. — dummodo agatur de legibus, in quibus Romanus Pontifex dispensare solet...* et, *a fortiori,* in quibus dispensare potest. Verum R. P. dispensare non potest in legibus iuris divini tum naturalis, tum positivi, exceptis legibus quibusdam iuris naturalis, quarum obligatio non nascitur, nisi praevio libero consensu humanae voluntatis, veluti in voto, iuramento, matrimonio rato non consummato: in his enim valide dispensat, non quidem quoad ius, sed potius quoad factum voluntatis humanae, quatenus vi potestatis sibi divinitus delegatae liberam promissionem ex iusta causa relaxat; quare voti, iuramenti, matrimonii rati obligatio per se ipsa corruit, *quia fuit subtracta materia eius* (Suarez, *de legib.* l. II c. 10 n. 9). Haec proinde veri nominis dispensatio non est. In omnibus vero legibus mere ecclesiasticis, R. P., quamvis ex iure semper dispensare possit, cum sit in Ecclesia supremus legislator, tamen in quibusdam gravioribus, quae praesertim bonum commune propius respiciunt vel ad ius naturae magis accedunt, dispensare non solet, veluti in lege matrimonium irritante ex capite consanguinitatis in primo gradu lineae collateralis aut ex capite ordinis sacri. Ideo, hisce legibus exceptis, in ceteris omnibus, cum dubium facti inciderit, Ordinariis universis amplissima conceditur potestas dispensandi.

2. *Legis virtus haec est: imperare, vetare, permittere, punire* (fr. 7 D. I, 3), seu brevius: inest cuique legi vis obligandi. Hanc autem vim habent leges humanae, tum ecclesiasticae tum civiles, a iure divino: *non est* enim *potestas nisi a Deo* (ad Rom. XIII, 1). Tamen, legis natura hominumque conditione perspecta, non semper urgere possunt: scilicet, etsi revocatae non sint, earum vis obligandi oportet interdum quodammodo quiescere. Quod quidem regulariter fit, quoties subditus ab eisdem servandis vitae periculo, incommodo gravissimo aut gravi prohibetur; sed maxime, quod frequentius contingit, si dubium subsit, ignorantia aut error. Et primum de dubio.

Ex canone igitur dubium iuris positivum et obiectivum eximit obligatione legis et, si, cum opus fuerit (ex. c. si de iure particulari agatur apud Curiam Romanam) probari possit, a qualibet irritatione, inhabilitatione vel poena liberat: scilicet lex dubia, in quam resolvitur dubium iuris prout accipitur in canone, non obligat; non enim dubia lex certam obligationem inducere potest. Proinde dubia lex, nulla lex.

Item dubium facti positivum et obiectivum alia via eodem reddit, nam efficit ut Ordinarii in lege dispensare possint. Non enim tunc quaestio est de eiusdem vi obligandi, cum lex et certa et clara esse censeatur, sed de anxietatibus auferendis, praesertim cum agitur de factis, quae legibus irritantibus aut inhabilitantibus subduntur. Ideoque Legislator statuit his in casibus, nisi R. P. dispensationem recusare soleat, si dispensatione saltem *ad cautelam* opus fuerit, sufficere, ut quis eximatur a iure communi, dispensationem inferiorum Ordinariorum.

Quorum omnium ultima ratio in libertate humana consistit, quam nunquam coarctare licet, nisi certa adsit obligatio; itemque in conscientiae tranquillitate, quae perturbari non oportet propter factum dubium, eo vel maxime quod, facto eiusmodi extante, dubia esse incipit et ipsamet legis obligatio: dubium enim est, legem esse servatam. Inde adagium: *in dubio omne factum praesumitur recte factum.*

Quare neque mirum est, et ipsas leges irritantes atque inhabilitantes, a quibus nulla ignorantia aut error excusat, non urgere in dubio iuris. Profecto enim, aliud est dubium positivum et obiectivum, aliud iuris error aut ignorantia: haec enim menti inhaerent et extra mentem nihil sunt; illud et menti inhaeret et legi, cuius proinde obligatio, cum et ipsa in casu sit dubia, corruere necesse est, quamvis de lege irritanti aut inhabilitanti agatur.

3. Hinc, si ex. c. dubium subsit, num tempus mandatae iurisdictionis mihi praeterierit vel num eius, qui ad beneplacitum mandavit, ius resolutum sit, iurisdictio perseverat: *in dubio* enim *positivo et probabili, sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia* (can. 209). Eodemque modo, si dubium subsit de validitate matrimonii, *standum est pro eius valore, dummodo matrimonii species non desit* (S. Rota, 1 febr. 1913).

Rursus, si quaestio sit de poenis, reus, si delictum dubium sit, puniri non debet: *nam in materia criminali, crimen non est iustificandum ex praesumptionibus, sed ex evidentissimis probationibus, quibus tantum potest quis condemnari* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 274 n. 16 part. 9 tom. I). Itemque, si dubius sit auctor delicti aut intentio dolosa: *si enim quis intentione ambigua usus sit, id quod utilius est ei, accipiendum est* (fr. 66 D. V, 1). *Itaque*, ait D'Annibale, *in poenis et maxime in censuris dubiis, semper pro reo respondendum est* (*Summula* etc. vol. I, n.° 317).

Can. 16.

§ 1. *Nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab eisdem excusat, nisi aliud expresse dicatur.*

§ 2. *Ignorantia vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur.*

Uti diximus, canon est de ignorantia atque errore.

1. *Nulla ignorantia* . . . Id ignorare dicimur, de quo cognitione caremus. Et si quod scimus non consideramus, brevis haec ignorantia inadvertentia vocatur. — In primis igitur, sicuti de dubio demonstravimus (cfr. comment. ad can. 15 n. 1), ignorantia vel *facti* vel *iuris* est. Nam ex. c. *si quis nesciat decessisse eum, cuius bonorum possessio defertur, non cedit ei tempus* (quia, nempe, in facto errat): *sed si sciat quidem defunctum esse cognatum, nesciat autem proximitatis nomine bonorum possessionem sibi deferri, aut se sciat scriptum heredem, nesciat autem quod scriptis heredibus bonorum possessionem praetor promittit, cedit ei tempus, quia in iure errat* (fr. 1 D. XXII, 6). — Deinde ignorantia aut inculpabilis aut culpabilis est, et si culpabilis aut indirecte aut directe. Prorsus autem inculpabilis est, cum de sua ignorantia nihil quis suspicatur vel etiam cum, quamvis sciens, per inadvertentiam agit; contra, est indirecte culpabilis, cum quis, quamvis de sua ignorantia dubitet, tamen, prout materia aut suae conditionis vel officii ratio expostulat, investigare negligit. Et quia eiusmodi negligentia potest esse levissima vel levis vel gravis, prout nempe ea diligentia deest, quam paterfamilias vel prudentissimus vel solers vel etiam desidiosus adhibet suis rebus, inde ignorantia quoque levissime, vel leviter vel graviter culpabilis esse potest. Et si graviter culpabilis, *supina* esse dicitur, quippe quae *in supinum*, idest torpidum, *hominem cadit* (fr. 15 D. XVIII, 1). Tum vero ignorantia est directe culpabilis, cum, nedum quaevis diligentia deest in investigando, sed praeterea investigare quis detrectat, ne ab agendo prohibeatur. Et hoc ignorantiae genus, quae etiam *affectata* vocatur, idest studiose quaesita, dolo malo aequiparatur in iure, ita ut ex. c. *a*

nullis ne *latae* quidem *sententiae poenis excuset* (can. 2229, § 1). Et sicut, qui ex ignorantia directe culpabili agit, dolo malo agit; ita, qui ex ignorantia indirecte culpabili, culpa (gravi, levi, levissima); qui vero agit ex ignorantia inculpabili, si legem violaverit, casu violasse censetur. Cum igitur canon statuat nullam ignorantiam legum irritantium aut inhabilitantium transgressoribus suffragari, omnem transgressionem comprehendit, sive id dolo, sive culpa, sive casu fiat. — *legum irritantium aut inhabilitantium* ... Huiusmodi leges (cfr. comment. ad can. 11 n. 1) aut pure et simpliciter actum irritant vel personam inhabilitant, aut id faciunt in poenam delicti: et tunc, uti per se patet, excluso delicto propter ignorantiam iuris, et poena ipsa evanescit, et cum poena eius quoque vis irritandi aut inhabilitandi. — *ab eisdem excusat* ... idest nulla ignorantia harum legum efficere potest, ut actus, qui ab eisdem irritantur, irriti non sint, aut personae, quae inhabilitantur, non sint incapaces — *nisi aliud expresse caveatur* ... videlicet, nisi caveatur expresse a legislatore ecclesiastico, legem aliquam irritantem aut inhabilitantem quandoque ignarum non tenere: quod ex. c. factum esse videtur can. 1099, § 2, per quem lex irritans de forma matrimonii servanda, expresse cavetur non tenere (certe quia plerumque inculpabiliter ignoratur) *acatholicos* (extra Ecclesiam) *baptizatos, imo etiam ab acatholicis natos, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint.*

Ignorantia vel error ... Est error falsum de aliqua re iudicium. Et cum omnis error, quatenus error est, ex ignorantia nascatur, ipsi quoque ea omnia, quae de ignorantia supra diximus, aptari oportet. — Sed praeterea error quilibet vel *substantialis* est vel *accidentalis*: substantialis quidem, si versetur circa substantiam rei, actus, legis, veluti si quis clericum verberet laicum putans; aut si quis existimet aliquid sibi donari, dum revera commodatur; aut si quis subdiaconatum forte suscipiat, putans posse se postea matrimonium contrahere; accidentalis vero, si circa accessoria versetur. Potest autem error circa accessoria ita versari, ut actui iuridico *det causam*, quod tunc accidit, cum, errore non extante, actus ipse non esset positus; vel ut in eundem actum *incidat*, quod quidem tunc contingit, cum, etiam errore non extante, quamvis fortasse non eadem omnino ratione, actus tamen nihilominus positus esset. Ita ex. c., si quis velocem equum emere volens, ceterum minime empturus, per errorem tardigradum emat, error tunc dat causam; contra, si quis nubat, falso existimans puellam esse divitem, tunc error incidit in actum iuridicum. His igitur praesertim modis quis errare potest. — *circa legem* ... et tunc error iuris est — *aut circa factum* ... et tunc error est facti — *aut poenam*... et tunc iuris aut facti error esse potest: iuris quidem, si quis ignoret in quo poena con-

sistat; facti vero, si id sciens, ignoret tamen poenam adiectam esse legi — *proprium* . . . id nempe, quod quis egit aut iure egisse censetur — *alienum* . . . id nempe quod ab alio actum est — *notorium* . . . idest manifestum. Potest autem aliquid notorium esse notorietate iuris aut facti: facti quidem, si et publice notum sit et talibus versetur in adiunctis, ut nulla tergiversatione celari possit; iuris vero, si de eo prolata sententia iudicialis in rem iudicatam transierit aut iudicialis confessio extiterit (can. 2197) — *generatim non praesumitur* . . . hoc est debet probari, et nisi probetur, nihil est apud iudicem ecclesiasticum. Quod generatim contingit, et ideo non est perpetuum; melior est enim hac in re conditio minorum, qui, *cum inter omnes constet fragile esse et infirmum huiusmodi aetatium consilium et multis captionibus suppositum* (fr. 1 D. IV, 4), mitius tractantur in iure, quibusque proinde *ius ignorare permissum est* (fr. 9 D. XXII, 6), idest ignorare praesumuntur, et si graviter laesi fuerint, conceditur in integrum restitutio (can. 1687, § 1) etiam ex officio (can. 1588, § 2). — *donec contrarium probetur* . . . donec, nempe, de facto non ignorasse, probatum sit: omnis enim praesumptio veritati cedat necesse est.

2. Ex his, quae hactenus disseruimus, patet Legislatorem in canone statuere voluisse, quid agendum sit Superiori atque iudici ecclesiastico erga eum, qui legem violaverit ex ignorantia aut errore. Qua de causa distinguit leges irritantes atque inhabilitantes a ceteris legibus, cavens, ut ignorantia aut error in istis quidem excusare possint, in illis non possint.

Cuius dispositionis ratio in natura humanae voluntatis requirenda est. Cum enim haec in incognitum ferri non possit, sed tantummodo inter ea, quae sibi plus minusve perspicua sunt, eligere, inde descendit et *nihil esse volitum, quin praecognitum*, et volitum aliquid, plus quam praecognitum sit, esse non posse (6). Proinde, cum ignorantia sive ex toto sive ex parte cognitionem praecidat et errori det locum, liquet eam quoque plus minusve voluntatem a volitione prohibere: unde *nulla voluntas errantis est* (fr. 20 D. XXXIX, 3). Quare, si lex eius sit naturae, ut nonnisi per actum voluntarium servetur violeturve, fieri potest de ignorantia aut errore quaestio; sin minus, non potest.

---

(6) Qua in re Savigny ingenio nimis indulsisse videtur. Ait enim: *Cum dicimus errorem voluntatem determinare, nonnisi sensu admodum improprio loquimur: nam error impedire non potest, quominus voluntas humana semet ipsa determinet.* Quae quidem vera esse nemo negat, si ad libertatem referantur: qui enim errando contrahit, utique et non contrahere, et contrahere alio modo poterat. Tamen ad rem non faciunt: siquidem non hic de libertate quaeritur, sed utrum id, quod quis libere agit erroris causa, volitum dici possit. Et affirmat Savigny: *Volitio namque*, ait, *cuius solius in actibus iuridicis habenda est ratio, per se stat; neque eam oportet praecedenti processui* (idest cognitionis) *coniungere, quasi id ei sit essentiale.* Et haec vera

Hinc ea profluunt, quae in canone habentur, et in primis nullam ignorantiam, ne inculpabilem quidem, a legibus irritantibus et inhabilitantibus excusare; deinde excusare, dummodo aut praesumatur a iure aut de facto probetur, aliis in casibus. *Legis* nempe *ignoratio, tametsi quando non est crassa vel supina omnem a violatoribus* (gravem) *culpam* (iuridicam) *et poenam amoveat, non tamen quos lex ad contrahendum ineptos effecit, habiles reddit, nec actui, quem lex irritum esse iussit, pristinam vim restituit.* Ita testamentum *non ideo fit sollemne, quia ex legis, certas sollemnitates praescribentis, ignorantia conditum fuit* (S. C. C. in *Ipren.* 1740, discept. I lit. I, § IV n. 30).

Scilicet haec est legum irritantium et inhabilitantium peculiaris natura, quod neque violentur per actum voluntarium, neque per involuntarium serventur: feruntur enim propter utilitatem publicam, uti *conditio sine qua non* validitatis actuum et, qua tales, omnino independenter a voluntate subditorum, et ideo agenti nec officit nec proficit ignorantia aut error, quaecumque illa sint; sed postquam actibus validitas aut capacitas personis lege adempta est, restitui non potest nisi per legem. Quapropter actus, quem quis ex ignorantia aut errore posuit contra praescriptum legis irritantis aut inhabilitantis (nisi haec lata sit in poenam delicti) ratum vel irritum est, perinde ac si sciens prudens posuisset.

At alia prorsus res est, si de ceteris legibus agatur: cum enim hae leges nonnisi per actum voluntarium violari possint, tunc solummodo violantur, cum violantur voluntarie, et ideo quoties ignorantia aut error actum voluntarium esse non sinunt, plus minusve impediunt violationem legis. Itaque, tunc in primis considerare oportet, an agatur de ignorantia iuris vel facti; et si facti, an de facto proprio vel alieno; et si de alieno, an notorium sit vel minus. Deinde, cum aliquid voluntarium esse possit aut in se aut in causa, ignorantia et errore extantibus, quantum sint culpabilia videndum est, habita ratione tum aptitudinis, tum officii personarum.

3. Inde est quod, ex canonis sententia, *actus sunt ipso iure nulli, non servata forma a lege praescripta* (S. Rota, in *Recentior.* Annot. ad decis. 542 n. 58 p. 4. t. 3), *formae enim omissio obstat validitati, etiamsi adsit iustissima causa excusationis* (ibid. n. 67), et ideo etiam ignorantia om-

---

esse non possunt. Nam apud omnes est indubitabile, non intelligi volitionem humanam, nisi cognitione praevia, et ideo processum cognoscitivum esse ei essentiale. Cognitione igitur deficiente, aderit quidem volitio, tamen non rei, de qua est contrahendum, sed alterius, quae per errorem adesse putatur. Quare, si erroris causa nihil in rerum natura, saltem quoad rei substantiam, respondeat cognitioni meae, fatendum est, meam quoque voluntatem in vacuum ferri: id quod volo non esse, me autem non velle, id quod est. Itaque *nulla voluntas errantis est* (l. c.).

nino inculpabilis. Inde etiam est, quod *ignorantia irregularitatum atque impedimentorum*, tum ad s. Ordinationem (can. 988) tum ad matrimonium valide contrahendum, *ab eisdem non excusat*, neque proinde praesumitur.

Contra, si non de legibus irritantibus sit sermo, ignorantia et error nedum excusare possunt, sed etiam saepe praesumuntur a iure. Ita *praesumitur ignorantia facti* (idest alieni neque notorii), *nisi probetur contrarium* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 250 n. 28 p. 3), *et quidem etiam in Papa* (ibid. decis. 666 n. 8 p. 1); eodemque modo *errantes in facto alieno* (non notorio) *habent iustissimam causam erroris* (ibid. decis. 203 n. 8 et 9 p. 7). Et ideo praesumitur *in absente, de illis, quae in partibus facta fuerunt in sui praeiudicium* (ibid. decis. 136 n. 3 p. 1); *in succedente in ius alterius* (ibid. decis. 25 n. 14 p. 6) *seu in successoribus* (ibid. decis. 314 n. 26 p. 4 t. 2), *puta in herede* (ibid. decis. 270 n. 8 p. 1 et alibi, ut *ignorantia testamenti* (ibid. decis. 541 n. 39 p. 5 t. 2), *immo etiam contentorum in eo praesumitur in filio et suo herede* (ibid. decis. 449 n. 5 p. 1). Item *praesumitur in tertio de rebus inter alios gestis* (ibid. decis. 179 n. 6 p. 11). *Beneficii* etiam *vacationis ignorantia de iure praesumitur* (ibid. Annot. ad decis. 21 n. 21 p. 3), *sicuti in caducitate atque in devolutione emphiteusis* (ibid. decis. 195 n. 1. 26 p4). — Contra, *nullatenus praesumitur in facto proprio* (ibid. decis. 481 n. 6 p. 2), neque *ubi aliquid sit publicum et notorium* (ibid. decis. 30 n. 14 p. 9 t. 1). Sed neque, etsi agatur de facto alieno non notorio, quis *praesumitur ignorare id, in quo bene versatus est* (ibid. decis, 317 n. 35 p. 18 t. 1), immo *generalis notitia sufficit ad excludendam ignorantiam* (ibid. decis. 21 n. 9 p. 11), quae denique neque praesumitur *in illo, qui* (ratione status aut officii) *tenetur indagare* (ibid. decis. 615 n. 4 p. 4 t. 3), *et magis in viro prudenti* (ibid. decis. 392 n. 8 p. 18 t. 1).

Ignorantia autem iuris regulariter neminem excusat nec praesumitur (ibid. decis. 275 n. 9 p. 4 t. 1) *et nullatenus* (videlicet, si de iure communi agatur) *cadit in Pontifice* (ibid. decis. 498, n. 1 part. 19 t. 2), sicut et *error iuris regulariter non praebet iustam causam excusationis, praesertim in viro perito et qui versatur in loco, ubi potuit consulere peritiores* (ibid. decis. 354 n. 9 p. 4 t. 1 et alibi). *Quae quidem iuris ignorantia unicuique nocet, etiam mulieri* (nempe adultae), praecipue quando consulere potest peritos (ibid. decis. 486 n. 14 p. 19 t. 2); sed *praesumitur in masculo* (et magis etiam in femina) *minoris aetatis* (ibid. decis. 723 n. 10 p. 2).

Itaque, cum ignorantia et error sive facti sive iuris (et proinde etiam poenae) praesumuntur, sane praesumuntur inculpabilia; cum vero non praesumuntur, sed affuisse probantur, videre interest, quando inculpabilia quandove culpabilia sint apud tribunal ecclesiasticum. Ut igitur excuset atque, si opus sit, *tribuat iustam causam obtinendi restitutionem*

in integrum (S. Rota, in *Recentior.* decis. 216 n. 10 p. 15 et alibi) *debet esse verisimilis et citra omnem coniecturam scientiae* (ibid. decis. 443 n. 6 p. 18 t. 2) seu *quae nullam admittat negligentiae notam* (ibid. decis. 293 n. 15 p. 10); *nec sufficit ignorantia crassa* (idest supina) *et affectata, quae potius pro scientia habetur, etiam in poenalibus et odiosis* (ibid. decis. 342 n. 2 et 3 p. 2), et ideo *allegari non potest ab eo, qui per relationem ad aliquid scire poterat* (ibid. decis. 125 n. 21 p. 12) *vel scire tenebatur* (ibid. decis. 253 n. 14 p. 12), *neque ab eo, qui, cum scivit, non destitit* (ibid. decis. 281 n. 4 p. 3 et alibi).

Extante autem ignorantia praesumpta vel utcumque inculpabilis, *ignorans et impeditus aequiparantur* (ibid. decis. 662 n. 9 p. 2), *ideoque ignoranti tanquam impedito est subveniendum* (ibid. Annot. ad decis. 3 n. 17 p. 3); *immo respectu rei ignoratae consideratur tamquam res inanimata* (ibid. n. 11), et *reputatur absens, stultus et impotens* (ibid. Annot. ad decis. 10 n. 27 p. 3), et proinde *non praestat consensum* (ibid. n. 26), *sicut et errans non dicitur consentire,* (ibid. decis. 183 n. 3 et 4 p. 19 t. 1) videlicet *in parte in qua erratum est* (ibid. decis. 73 n. 14 p. 17).

4. Patet ex iis, quae hucusque lucubrati sumus, legibus irritantibus ac inhabilitantibus sepositis, iure nostro non praesumi quidem iuris errorem atque ignorantiam nisi in minoribus; minime vero viam esse praecisam ad ea apud iudicem probanda et, si fortasse fuerint inculpabilia, etiam excusanda. Scilicet constat ius canonicum, regulas romani iuris mitius applicando atque a duriore praxi civilis nostri temporis iurisprudentiae refugiendo, et hac in re naturalem potius aequitatem quam artificiosas saepe ac fictitias praesumptiones esse secutum.

Revera iuris romani in hac quaestione principia, his Neratii et Pauli sententiis continentur: *In omni parte error in iure non eodem loco quo facti ignorantia haberi debebit, cum ius finitum et possit esse et debeat, facti interpretatio plerumque etiam prudentissimos fallat* (fr. 2 D. XXII, 6). Quare: *Regula est, iuris quidem ignorantiam cuique nocere, facti vero ignorantiam non nocere. Videamus igitur, in quibus speciebus locum habere possit, ante praemisso quod minoribus ius ignorare permissum est. Quod et in feminis in quibusdam causis propter sexus infirmitatem dicitur: et ideo sicubi non est delictum, sed iuris ignorantia, non laeduntur... Sed iuris ignorantiam non prodesse Labeo ita accipiendum existimat, si iuris consulti copiam haberet vel sua prudentia instructus sit, ut, cui facile sit scire, ei detrimento sit iuris ignorantia: quod raro accipiendum* (fr. 9 D. XXII, 6).

Contra, iurisprudentiae civilis aetatis nostrae hac de re principia (7)

(7) Codex civilis Hispaniensis haec habet: *Ignorantia legis non eximit a lege servanda* (Tit. praelim. art. 2) — Lusitanus: *Nemo potest se subducere legis obligationi ignorantiae causa* (Tit. I art. 9) — Cilenus: *Ordinario aut peculiari tempore* (a legis publicatione) *elapso, ignorantiam legis adducere nemo poterit* (Tit. praelim. § 2 art. 8). Et ita alii Codices fere omnes.

ita possunt perstringi: *Legum cognitio, elapso tempore post quod obligare incipiunt, praesumitur praesumptione «iuris et de iure»* (Supr. Tribun. Cass. Romae, 7 octobr. 1882).

Sed est incivilis huiusmodi praesumptio, cum praesertim paene innumerabiles sint leges, quibus nunc temporis obruimur: quapropter nihil mirum, si iuris civilis doctores principium illud sic explicicent, ut ad naturalem aequitatem magis accedere videantur.

Can. 17.

§ 1. *Leges authentice interpretatur legislator eiusve successor et is cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa.*

§ 2. *Interpretatio authentica, per modum legis exhibita, eandem vim habet ac lex ipsa: et si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; si legem coarctet vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et debet promulgari.*

§ 3. *Data autem per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est.*

Hucusque Legislator de legibus disseruit prout sunt in seipsis. At leges feruntur ad actus subditorum moderandos: proinde et a subditis vitae quotidianae necessitatibus aptari debent, et a iudicibus controversiis dirimendis delictisque puniendis, et a iurisperitis scientiae iuridicae perficiendae. Aptari autem non possunt, nisi probe intelligantur: inde necessitas leges interpretandi. Quare hic canon, cum tribus qui sequuntur, est de legum ecclesiasticarum interpretatione: et prius de authentica interpretatione disseritur.

1. *Leges...* quaslibet, sive a R. P. latae sint, sive ab inferioribus legislatoribus — *interpretatur...* Interpretari proprie est interpretem agere, idest rem obscuram exponere. Iuridice vero is leges interpretari dicitur, qui genuinam earum sententiam exprimere studet. — *authentice...* Authenticus ab *authenta* (gr. αὐθέντης, hoc est dominus, qui suo arbitrio quidlibet agere potest nec ab ullo alio dependet; vel etiam auctor, cui refragari nemo potest) descendit, et significat auctoritatem habens vel faciens, diciturque a iurisconsultis de rebus, quae ab ipso auctore recta procedunt. Unde Ulpianus (fr. 4 D. X, 2): *Heredem enim exemplum debere dare, tabulas vero authenticas ipsum retinere aut in aede deponere.* Et paulo post (fr. 8 D. X, 2): *Plerumque enim authenticae rationes sunt necessariae actori.* Ea igitur legis interpretatio authentica appellatur, quae fit ab auctore legis, ita ut *unde ius prodiit, interpretatio quoque procedat* (c. 31, X *de sententia excommunicationis* V, 39) — *legislator...* idest vel R. P. vel legislator inferior. Praetermittendum tamen non est *authen-*

ticam interpretationem, quae manat ab Episcopis (vel ab aliis legislatoribus R. P. inferioribus), *qui Synodorum* (vel utcumque latarum a se legum) *auctores sunt, tanti profecto esse, quanti sunt ipsa decreta.* (Leo Pp. XIII, const. *Romanos Pontifices,* 8 maii 1881). Et ideo ab horum legislatorum interpretationibus appellatio datur ad R. P., et quidem *in devolutivo* tantum, si decreta, quae interpretati sunt iure communi consistant; si vero eiusmodi decreta personarum exemptarum iura vulnerare videantur, *etiam « in suspensivo »,* donec *Pontificis Maximi auctoritate iudicetur, iure ne an secus cum iis actum sit* (ibid.). Ex quo liquet ad Superiorem etiam legislatoris, authenticam legis interpretationem indirecte pertinere. — *eiusve successor...* idest in officio: *qui* enim *in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit* (Reg. 46 R. J. in VI°) — *is, cui potestas interpretandi fuerit ab eisdem commissa...* Et committi potest sive a iure sive ab humine.

Interpretatio authentica per modum legis exhibita... Potest nempe authentica interpretatio exhiberi per modum legis aut rescripti, sive generalis sive in re peculiari, aut sententiae iudicialis aut denique de plano: et semper est authentica, dummodo a legislatore exhibeatur vel ab eius successore vel ab eo, cui potestas fuerit commissa authentice interpretandi. Exhibetur autem per modum legis, cum pro omnibus subditis et casibus universis, quibus lex ipsa refertur, exhibetur. — *eandem vim habet...* vim scilicet obligandi, et omnibus applicari debet, quibus et quoties explanata lex applicatur — *verba legis in se eerta...* Id in se certum est, de quo rationabiliter dubitari non potest: quare, si dubium subsit, mere subiectivum est. Verba autem legis tribus modis certa aut dubia esse possunt: aut enim certa sunt et in se et quoad alios, et tunc interpretatione non indigent; aut dubia sunt et in se et quoad alios, et tunc indigent interpretatione explicativa, de qua infra; aut denique in se quidem certa sunt, sed quoad alios dubia, et tunc interpretatio declarativa sufficit, de qua hic est sermo — *declaret tantum* . . . Declarare, ut iam innuimus, est certum ita proponere, ut qui prius non intelligebant, intelligant. Unde Cicero: *Praesentiam suam saepe divi declarant.* — *valet retrorsum* . . . . idest cunctis iuribus, per legem declaratam antea quaesitis, applicari debet — *si legem coarctet....* Coarctare idem est atque constringere vel contrahere. Tunc autem lex coarctatur, cum eius vis obligandi ita contrahitur, ut minorem numerum casuum vel personarum suo ambitu comprehendat. Ita Bonifacius Pp. VII statuit, ut clerici coniugati non gauderent privilegio fori, nisi *tonsuram et vestes clericales deferrent* (c. 1 *de cleric. coniug.* III, 2 in VI°): qua authentica interpretatione, relata inter fontes, R. P. legem coarctavit de fori privilegio, clericis competenti. — *vel extendant* . . . . Sicut coarctare restringere est, ita extendere est ampliare. Tunc igitur lex per interpretationem extenditur, cum eius vis obligandi ad plura

dilatatur. Et ita Innocentius Pp. III canonem 15 Concilii Lateranensis II authentice interpretans, quo clericis privilegium « canonis » concessum fuerat, edixit tum laicum, qui, propter iniuriam sibi illatam, clericum, id voluntarie patientem, percussisset, tum clericum ipsum, sponte contumeliam ferentem, esse excommunicandum, salva iusta satisfactione clericalis ordinis dignitati consentanea (c. 36 X *de sentent. excommunicat.* V, 39). Ita etiam Honorius Pp. II *edictum a Marciano Aug. de Constantinopolitanis clericis promulgatum, ubi clerici iurare prohibebantur*, ad omnes clericos extendit, praecipiens, ut *aliis idoneis defensoribus, huiusmodi officium* (idest praestandi in causa ecclesiae suae iuramentum calumniae) *liceat delegare* (c. 7 X *de iuram. calumn.* II, 7) — *aut dubiam*.... Cum lex in se certa non est, dubia dicitur (cfr. comment. ad can. 15 n. 1): itaque dubia est lex, de qua rationabiliter dubitari potest. — *explicet*... Explicare (ab *ex-plico*) aperire, evolvere significat; et dicitur proprie de rebus, quo contractae, involutae, complicatae sunt. Unde Cicero (*pro Rosc. Amer.* 35): *Explicet suum volumen illud.* Et Varro (V *de ling. lat.* 29): *Pectine explicare capillum.* Unde, tum lex explicari dicitur, cum aliquid quod in ea quodammodo abditum est et percipi non potest, velut extrahitur et in lucem profertur, ita ut lex, quae antea in se dubia erat, in se certa iam fiat. – *non retrotrahitur*... idest usque ad momentum promulgationis, secus ac de interpretatione declarativa contingere diximus.

Data autem per modum sententiae iudicialis... Est sententia indicialis *legitima pronunciatio, qua iudex causam a litigantibus* (in iudiciis autem criminalibus a promotore iustitiae, a damnum vel iniuriam passo, aut, si actio sit popularis, a qualibet persona – can. 1934 et 1935, § 1) *propositam et iudiciali modo pertractatam definit* (can. 1868, § 1): *eaque « interlocutoria » dicitur, si dirimat incidentem causam; « definitiva », si principalem* (ibid.). Hinc sententia iudicialis, cum causa, quae non fuerit de statu personarum (can. 1903), in rem iudicatam transierit, *vera et iusta habetur praesumptione « iuris et de iure »* — *aut rescripti in re peculiari*... Principis ecclesiastici scripta responsio rescriptum dicitur (cfr. Introduct. ad Tit. IV). Est autem rescriptum vel gratiae vel iustitiae; item vel secundum aut praeter vel contra ius; demum vel generale vel speciale seu in re peculiari, prout nempe aut casus universos cuiusdam generis respicit aut unum vel aliquot peculiares casus. Patet igitur Legislatorem hic loqui non quidem de generalibus rescriptis, sed de rescriptis specialibus; itemque non de rescriptis gratiae sed iustitiae: breviter, de iis solummodo rescriptis, quibus legislator ecclesiasticus, sive supremus sive subordinatus, in casu aliquo peculiari, publica aut privata persona rogante, ius commune aut particulare interpretatur; quod quidem rescriptis gratiae non fit. — *vim legis non habet*... idest sortem legis explanatae non sequitur, et ideo

neque communitati universae, neque quovis tempore, simul cum lege applicanda est data interpretatio. — *ligat tantum personas* ... puta rogantes, litigantes, delinquentes. — *atque afficit* ... afficere idem est atque «facere ad aliquid», videlicet disponere, tangere. Quare Cicero (*ad Anton.* post ep. 13 l. 14 *ad Att.*): *Literae tuae sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere a te.* — *res* ... puta, de quibus rogatus est legislator aut coram iudice disceptatur. In summa, sicut iudiciales actiones *vel sunt in rem vel in personam* (Gaius, *Instit.* IV, 1), ita et sententia iudicialis vel de persona est vel de re; itemque rescripta personis dantur vel ratione personarum vel ratione rerum.

2. Hoc igitur in canone Legislator proponit, quae sit origo, quaeque natura et partitio authenticae legum interpretationis. Et primum docet authenticam interpretationem, rive immediate sive mediate, nonnisi ab auctore legis manare posse; deinde subdit eam quandoque habere vim legis quandoque non habere, prout evenit cum datur per sententiam iudicialem aut rescriptum in re peculiari; demum animadvertit, interpretationem vim legis habentem, si legis quidem verba in se certa declaret tantum, non indigere promulgatione et valere retrorsum: si vero legem coarctet, extendat aut in se dubiam explicet, et retrorsum valere et promulgari debere.

Quae omnia tum legis, tum authenticae interpretationis natura innituntur. Et revera, legum authentica interpretatio tum fieri dicitur, cum ita fit, ut ea se eximere liceat nemini: vidimus enim id authenticum appellari, quod auctoritatem facit. Hinc apertissime patet, huiusmodi interpretationem fieri non posse nisi ab eo, qui legem tulit. Neque interest interpretatio a legislatore ipso, an potius a successore vel a constituto ab eo interprete fiat: siquidem uterque, aut propter identitatem officii aut propter commissam potestatem, unica censetur cum legislatore persona.

Deinde authentica interpretatio quandoque vim legis habere, quandoque vero non habere dicitur. Et merito: nam, quamvis a legislatore immediate aut mediate (breviter: a publica auctoritate) proficiscatur, potest non omnes subditos respicere et ideo non esse communis; quare, cum lex consistere non possit, quin sit commune praeceptum, patet huiusmodi interpretationem, rationem atque vim legis non habere. Ex eo autem et sententia iudicialis et rescriptum in re peculiari communia esse non possunt, quod duplici elemento, coalescant, iure videlicet et facto: iure, quod tunc etiam legislator aut iudex generaliter interpretatur; facto, quod per explanatum ius quodammodo demetitur, uti ex contrapositione manifestum fiat, cui et quatenus idem ius aut inviolatum faveat aut violatum obsistat, idque sententia iudiciali aut interpretatorio rescripto in re peculiari significatur: edicitur nempe, non quidem talem legem ita esse intelligendam, sed potius eam in casu

tenere aut non tenere. Cum igitur per huiusmodi sententias atque rescripta, interpretatio iuris, per se generalis, ad factum contrahatur, et non prout in se est, sed prout factum peculiare respicit, sententia aut rescripto significetur; in summa, cum haec non de iure sint, sed potissimum de facto, patet vim legis habere non posse.

Tandem, cum authentica interpretatio, eo quod generalis sit et communis, vim legis obtinet, si legis verba in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum. Nimirum interpretatio haec declarativa nihil legi addit nihilque tollit, sed solummodo, quae subditi prius non intelligebant, facit ut intelligant: qua de causa nihil etiam est, quod promulgetur, nullumque ius quaesitum, cui interpretatio praeiudicium afferat et ideo retrorsum non valeat. Proinde interpretatio declarativa promulgata intelligitur cum lege, quam interpretatur, *tamquam si lex ab initio cum tali interpretatione promulgata fuisset* (Iustin. Aug. *Nov.* 143).

Eademque ratione, si authentica interpretatio, vim legis habens, legis verba in se dubia explicet aut legem coarctet aut extendat, non retrotrahitur et promulgari oportet: quandoquidem aliquid tunc novi in lege introducitur, quo lex explanata fit ex parte nova lex; quaevis autem lex nova, et praeterita non respicit et indiget promulgatione (cfr. comment. ad can. 10 n. 2).

Heic itaque Codex quaestionem dirimit, quae de promulgatione authenticae interpretationis legis dubiae agitabatur. Et sane convenienter (cfr. comment. ad can. 15 n. 2). Plerique enim docebant (cfr. Reiffenstuel, *Ius canonic. univers.* n. 376), nonnisi restrictivam atque extensivam esse veri nominis interpretationes, explicativam vero legis in se dubiae in mere declarativam recidere, et ideo promulgatione non indigere.

3. Ex iis, quae supra demonstravimus, haec descendunt:

1). Romanus Pontifex omnes ecclesiasticas leges authentice interpretari potest. Sed Romani Pontifices hanc interpretandi potestatem dicasteriis etiam Curiae Romanae plus minusve commiserunt. Scilicet *decreta a S. Rituum Congregatione emanata et responsiones quaecumque ab ipsa propositis dubiis «formiter editae» eandem habent auctoritatem ac si immediate ab ipso Summo Pontifice promanarent, quamvis nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suae.* (S. R. C. 23 maii 1846). Ad hoc autem ut eadem decreta atque responsiones *formiter edita* habeantur, *sufficit quod sint subscripta a Congregationis Praefecto et Secretario ac eiusdem sigillo munita. Et tanquam «formiter edita» habenda sunt decreta et responsiones in authentica collectione inserta* (S. R. C. 8 apr. 1854).

Item S. Congregatio Concilii, *post consultum Romanum Pontificem*, (Sixtus Pp. V, constit. *Immensa*, 1557), interpretationem authenticam

dare poterat per modum legis de Concilii Tridentini decretis, *quae ad morum reformationem, disciplinam aliaque huiusmodi pertinent* (S. C. Consist. *Romana* 11 febr. 1911); ceterae vero Congregationes respondere poterant per rescripta in re peculiari, non autem decreta generalia edere vim legis habentia, nisi intercessisset R. P. probatio *in forma specifica.*

Verum, *post ordinationem Romanae Curiae a Pio Pp. X statutam, facultas authentice interpretandi Concilii Tridentini decreta aliasque leges ecclesiasticas, vi constitutionis « Sapienti consilio » singulis Sacris Congregationibus secundum propriam cuiusque competentiam commissa est.* (ibid.).

Sacris autem *tribunalibus Romanae Rotae et Signaturae Apostolicae facultas competit, eadem decreta easdemque leges interpretandi iuridice in casibus particularibus, ita nempe, ut ius faciant inter partes in causa* (idid.).

2). Demum, Codice promulgato, constituta est a R. P. *Commissio Cardinalium, cui uni ius erit Codicis canones authentice interpretandi, audita tamen, in rebus maioris momenti, Sacra ea Congregatione, cuius propria res sit, quae Commissioni disceptanda proponitur* (Benedictus Pp. XV, motu-propr. *Cum iuris*, 15 sept. 1917). Quare haec Commissio, Codici interpretando praeposita, etiam canones Codicis liturgicos interpretatur, itemque canones qui Ecclesiam Orientalem respiciunt: qui proinde canones competentiae Congregationis Rituum subtrahuntur, necnon Congregationis pro Ecclesia Orientali, paucis ab hinc annis institutae cum iisdem facultatibus, *quas aliae Congregationes obtinent pro Ecclesiis latini ritus* (Benedictus Pp. XV, motu-propr. *Dei providentis*, 1 maii 1917).

3). Eodem modo, quo R. P. cunctas ecclesiasticas leges, Ordinarii locorum, singillatim aut una simul, leges a se latas authentice interpretantur, sive singillatim tulerint (in Synodo dioecesana vel extra Synodum), sive coniunctim in Concilio plenario aut provinciali.

4). Tandem Capitula generalia aut supremi Moderatores religionum exemptarum, suas et ipsi leges authentice interpretantur.

Can. 18.

Leges ecclesiasticae intelligendae sunt secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris est recurrendum.

Postquam docuit quandonam legum ecclesiasticarum interpretatio uti authentica, et ideo a communitate universa aut saltem a partibus in causa, tanquam obligatoria habenda sit; quo, uempe, sensu *leges interpretari solum dignum imperio esse oporteat* (l. 12 C. I, 14): Legislator

noster, hoc canone et duobus sequentibus, normas statuit, quae, sive a Superioribus ecclesiasticis, sive a iudicibus, sive a privatis quibuscumque servandae sunt in legibus interpretandis.

1. *Leges ecclesiasticae* ... videlicet omnes, quidquid sit de legibus civilibus — *secundum propriam verborum significationem* ... Verba intelligi possunt secundum propriam aut minus propriam significationem: propria significatione vox *filius* pro genito intelligitur, minus propria pro adoptato. Multiplex tamen esse potest propria verborum significatio: ita «*pueri*» *appellatio tres significationes habet: unam, cum omnes servos pueros appellaremus; alteram, cum puerum contrario nomine puellae diceremus; tertiam, quum aetatem puerilem demonstraremus* (fr. 204 D. L, 16). Rursus propria verborum significatio aut vulgaris est aut iuridica: ita vox *actio* vulgo humanam operationem significat; iuridice vero, ex eo quod apud iudicem agatur, ius in iudicio persequendi quod sibi debetur: unde *actionem dare, negare, habere; actio iniuriarum*, etc. Itaque, ex canone, verba legum intelligenda sunt secundum propriam significationem, et quidem iuridicam, si habeant, vulgarem, sin minus; utrobique secundum significationem, qua, eo tempore quo lex lata est, legislator utebatur: mutat enim temporis decursu verborum significatio. — *in textu* ... Textus (a *texo*) texturam, texendi rationem et inde etiam scripta verba significat. Unde Ammianus Marcellinus (XV, 8): *Ut ostendit textus superior.* Proinde textus verba refert legislatoris, et suo quaeque loco. Quod si dubitetur, num textus sit genuinus aut integer, vel potius corruptus aut suppositititius, ars critica est adhibenda, sive quam realem vocant, sive quam verbalem. Est igitur in primis, si opus sit, textus restituendus. — *et contextu* ... Contextus idem est atque connexio, colligatio; ita Lucretius (*de rerum natura* I, 243):

quorum
contextum vis deberet dissolvere quaeque.

Inde vero Ulpianus (fr. 75 D. XXXII): *neque ex contextu testamenti possit apparere.* Praeterea (fr. 21 D. XXVIII, 1): *Uno contextu actus testari oportet. Est autem uno contextu, nullum actum alienum testamento intermiscere.* Demum Quintilianus (*de institut. orator.* IX, 4): *lenis et fluens contextus.* Quare, sicuti verba, singillatim et secundum graphicam texturam considerata, textus dicuntur, ita eadem verba, si considerentur coniunctim eaque significatione, quam obtinent ex eorum iuxtapositione ad normam regularum grammaticalium, dicuntur in contextu considerari. Scilicet, ita oportet verba legum in contextu considerari, ut non tam de verbis quaestio fiat, quam de verborum sententia: *non* enim *verbum ex verbo, sed sensum ex sensu* transferri oportet, *quia plerumque, dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur* (c. 8, X *de verbor. signific.* V, 40). — *quae si dubia* ... idest quoad vim

obligandi in casu — *et obscura manserit*... si, nempe, post diligentem ponderationem verborum, prout habentur in textu et contextu legis, haec in casu iniusta aut absurda aut inutilis videatur — *recurrendum est ad locos Codicis parallelos*... Ea proprie parallela (a παρά et ἀλλήλων, idest *ad invicem*) dicuntur, quae invicem comparantur: unde illi tum sermonis, tum orationis, tum libri, tum legis aut Codicis paralleli sunt loci, in quibus de eadem re agitur. — *ad legis finem*... Legis finis in ea ratione consistit, qua permotus legislator legem tulit: proinde dicitur et ratio legis. Scilicet *intelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.* (c. 6, X *de verbor. significat.* V, 40). Haec autem ratio seu finis vel a legislatore expresse significatur, vel ex circumstantiis colligenda est. — *ac circumstantias*... Circumstantiae (a *circum-stare)* ea dicuntur, quae rem circumstant. Hinc legum circumstantiae in eventibus atque necessitatibus vitae quotidianae consistunt, et aliae historicae aliae iuridicae sunt: historicae, quae vitae obveniunt; iuridicae, quae obveniunt iuri; illae legem causant, hae legem consequuntur. Cum enim nova lex fertur, vetera instituta iuridica, legi connexa, plerumque immutantur, interdum etiam supprimuntur aut nova introducuntur. — *et ad mentem legislatoris*... Aliud est finis legis, aliud mens legislatoris: ille, legislatorem movit ad legem ferendam; haec, legem latam iustis quodammodo finibus concludit, ut ex ea argui verisimiliter possit, quibus in adiunctis lex teneat quibusve non teneat. *Lex* enim *humana non obligat nec operatur ultra intentionem legislatoris* (S. C. de Propag. Fide, 2 iul. 1827); unde Eugenius Pp. IV (ep. *Fide digna*, 8 iul. 1440): *Dicimus expresse, non intentionis legislatoris fuisse, animas illaqueare fidelium sub culpa mortali ad communicandum. Mens enim magis quam verborum sonus est attendenda discrete.* Quare, ut ait Gratianus (c. 11 C. XXII, q. 5), *non debet intentio verbis deservire, sed verba intentioni.* Huc autem reducitur interpretatio restrictiva, qua lex quodammodo *corrigitur, cum deficit propter universale,* quamque Aristoteles (*Ethicor.* V, 10) ἐπιείκειαν, idest *aequitatem* vocat.

2. Leges, uti diximus, interpretatur, qui genuinam earum sententiam exprimit. Tunc autem legum sententia perfecte exprimitur, cum legislatoris voluntas perfecte deprehenditur: *est enim lex, quod legislator voluit* (S. Rota, 22 ianuar. 1910). Proinde iis modis in legibus interpretandis uti debemus, qui idonei sunt ad deprehendendam voluntatem eius, qui legem tulit.

Quare primum verba legis secundum propriam significationem in textu et contextu considerare oportet: sunt enim quasi vehiculum mentis legislatoris, qui, quidquid aut iubere, aut vetare, aut permittere, aut punire voluerit, verbis proposuisse, et quidem aptiore modo, censendus est; et *cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis*

quaestio (fr. 25 D. XXXII). Haec prima, praecipua tutiorque via, quam tenere debemus in legibus interpretandis.

Quod si lex dubia et obscura manserit, idest, si verbis diligenter perpensis lex iniusta vel absurda vel inutilis in casu videatur, tunc planum est, *non oportere ius calumniari neque verba captari, sed, qua mente quid diceretur, animadvertere convenire* (fr. 19 D. X, 4). Et prius a proprietate verborum paullisper recedendum est, atque considerandum, num ea legislator cum significatione minus propria adhibuerit. Quod si neque succurrat, ad Codicis locos parallelos est recurrendum: una enim esse censetur mens legislatoris ac semper eadem iisdem in adiunctis; proindeque, quoties de eadem re esset loquendum, eandem quoque mentem iisdemque verbis legislator iugiter manifestasse, et vicissim. Verum, ad Codicis locos parallelos recurrere oportet, non solum si de Codice, sed etiam si de legibus inferiorum legislatorum interpretandis agatur. Hae namque aut secundum ius, aut ad summum praeter ius commune esse possunt: si primum, planum est; si vero alterum, adhuc utilis erit recursus: eadem enim sunt iuris tum communis tum particularis principia; quae autem quoad aliquid singillatim conveniunt, debent quodammodo et inter se convenire. Quod si loci paralleli desint, abs re non erit ad systema legum universum respicere. Siquidem est in legum systemate intima partium connexio et unitas quaedam perpetua, ita ut nunquam contingat, *esse legem legi contrariam iure ipso, quia,* ait Quintilianus *(de institut. orator.* VII, 7, 2), *si diversum ius esset, alterum altero abrogaretur.* Itaque nulla systematis pars est, quae aliis non respondeat, quare per systema legem singularem, per legem vero systema universum rectius intelliges.

Si autem neque id sufficere videatur, tunc iam prorsus recedendum est a verbali interpretatione et voluntas legislatoris alia via, minus quidem apta et plena periculis, est exploranda, perpendendo nempe finem seu rationem atque circumstantias legis. Et revera haec semper *fertur, rebus ipsis dictantibus et necessitate exigente* (S. Rota, 22 ianuar. 1910), censeturque legislator, ad finem legis consequendum, aptiora media elegisse, quae videlicet recto tramite ad finem perducerent.

Quapropter, eo cognito, haec etiam perspicua esse debent, unde *ubi eadem est ratio, eadem esse debet iuris dispositio* (fr. 32 D. IX, 2). Est tamen via periculis plena: nam finis seu ratio legis non est lex. Quis enim prohibet legislatorem, quamvis eadem sit ratio, unum et non alterum iubere, vetare, permittere, punire, sive quia ita placet, sive quia saepe uno tempore omnia facere non oportet? Nihilominus, ratione legis semel perspecta, eandem eam esse existimandum est in *correlativis* (ex. c. quod vendi prohibetur, prohibetur et emi), in *aequiparatis* (ex. c. clericus, qui ad beneficium eligi aut postulari non potest, neque potest confirmari) et in *connexis*, quorum aliud alio continetur (ex. c.

qui habet factionem testamenti, habet etiam codicilli). At finis legis unde eruendus? Si expresse a legislatore significetur, nulla esse potest de fine quaestio; sin minus, ex circumstantiis historicis desumendus est et, his deficientibus, ex iuridicis. Illae, uti diximus, tanquam causa legis habendae sunt, istae tamquam legis effectus. Verum, causa bene cognita, effectus etiam cognoscitur; et, vicissim, ex natura effectus erui potest causae natura atque finis: si nempe tibi perspectum sit, quaenam iuridica instituta et quatenus per novam legem immutata fuerint, sane ex novationibus introductis, poteris naturam legis atque rationem colligere.

Tandem mens legislatoris propius ac directius est investiganda: est videlicet explorandum, quidnam verisimiliter voluerit nolueritve legislator, cum legem tulit. Idque ex variis indiciis atque adminiculis eruetur, sed praecipue ex subiecta materia nec non ex aequitate, cuius semper legislator censetur habuisse rationem: est namque ius *ars boni et aequi* (fr. 1 D. I, 1), atque *nulla est ratio, cur legislator credatur, id quod statuit de expresso nolle servare in tacito* (S. C. C. in *Ripana*, 1 febr. 1740, § *Fatendum*). Ut autem verba legis, more praetoris quoad ius civile Romanorum, ad aequitatem trahi possint, oportet, uti vidimus, lex in casu peculiari deficiat propter suam universalitatem, quia nempe est commune praeceptum ac proinde de iis constituta, *quae plerumque accidunt, non quae praeter expectationem* (fr. 3 D. I, 3), et ideo iura singularia hanc interpretationem non recipiunt.

Hinc *ad rectam legum interpretationem, haud verborum cortici adhaerendum est, sed vis ac potestas perpendenda* (S. C. C. in *Auximana*, 20 nov. 1830, § *At*). Quare *in legem commisit, qui verba legis complectens, contra legis nititur voluntatem* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 671 n. 1 p. 1). *Mens* autem *et voluntas legislatoris colligitur tum ex materia legis, tum ex circumstantiis, praecipue vero ex fine et causa, ob quam lex lata est* (ibid. 30 ianuar. 1913), *quae legis ratio ubi non militat, ibi non procedit illius dispositio* (ibid. decis. 205 n. 6 p. 17). *Compertum autem est recte ob identitatem rationis fieri posse interpretationem comprehensivam, quae ob similitudinem improbatur* (S. C. C. in *Ripana*, 1 febr. 1740, § *Fatendum*). *Et sic lex, disponens circa unum essentialiter connexum cum alio, censetur disponere etiam de alio* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 36, n. 9 p. 5 t. I). Demum *censetur legi inesse, quod mente legislatoris comprehensum est,* (S. C. C. in *Ripana* u. s.). Breviter, *verba* legis *accipienda sunt sensu proprio, secundum mentem legislatoris, conformiter motivo seu causae finali, cum effectu ut aliquid operetur* (S. C. C. in *Neapolitana*, 7 iun. 1834, § *Hinc frustra*).

Can. 19.

Leges, quae poenam statuunt, aut liberum iurium exercitium coarctant, aut exceptionem a lege continent, strictae subsunt interpretationi.

Hoc canone agitur de interpretatione quarumdam legum in specie.

1. *Leges quae poenam statuunt... Statutum poenale restringi potius convenit, quam laxari* (c. 22 *de electione et electi potest.* I, 6 in VI°). Canonis igitur praescriptum, in primis respicit omnes leges poenales, sive poena sit determinata sive arbitrio Superioris aut iudicis relicta; sive sit latae sive ferendae sententiae; sive agatur de censura sive de poena vindicativa, remedio poenali aut poenitentia. — *aut liberum iurium exercitium coarctant...* veluti leges irritantes aut inhabilitantes vel utcumque vetantes personis quibusdam physicis aut moralibus exercitium iurium, quae aliis communiter conceduntur — *aut exceptionem a lege continent...* quibus nempe, quarundam personarum physicarum aut moralium gratia, iuri communi derogatur, ut fit legibus, quae continent privilegium — *strictae subsunt interpretationi...* Stricta interpretatio ea dicitur, quae fit iuxta propriam verborum legis significationem (cfr. comment. ad can. 18 n. 1), exclusa prorsus qualibet extensione legis, sive ex consideratione finis sive mentis legislatoris.

2. *Odia restringi et favores convenit ampliari* (R. 15 R. J. in VI°), et est clarum. Odiosa autem, an potius favorabilis sit lex, non ex legis fine (nisi uni sit favorabilis, alteri odiosa, uti leges, quae concedunt in integrum restitutionem), sed ex materia aestimari debet, secus et leges poenales, cum ordinem publicum tueantur, essent favorabiles: quare odiosa erit lex, quae, propter materiam seu obiectum, gravamen subditis affert. Excipiendae tamen sunt leges *in favorem religionis,* quae omnes *favorabiles censendae sunt, adeoque latioris interpretationis* (S. C. de Propag. Fide, 2 iul. 1827).

Hinc ea defluunt, quae in canone traduntur: nam, ut per se patet, odiosae sunt leges, quae poenam statuunt aut exercitium iurium coarctant; sed odiosae etiam sunt, quae exceptionem a iure continent: quidquid enim contra ius commune per exceptionem alicui conceditur odiosum est.

3. Unde *leges prohibitoriae, extensionem non recipiunt in praeiudicium liberae facultatis, unicuique competenti, actus suos explendi modo sibi beneviso* (S. C. C. in *Ariminem.* 17 febr. 1821, § *Quamvis*). *Neminem propterea latet, poenas non esse extendendas adeo, ut speciem a lege expressam praetergrediantur* (ibid. in *Veliternen.* 2 iun. 1821, § *Quamvis).* Ita leges poenales, quae loquantur *de vulneribus, non sunt extendendae ad verba iniuriosa* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 36 n. 47 p. 5 t. I). *Unde in*

interpretatione legum, poenae molliendae sunt potius, quam exasperandae, et in poenalibus causis benigne est pronuntiandum (S. C. C. in *Placentina*, 24 mai 1823, § *Nonnulla).* Et ratio est, quod *leges privationem et poenam afferentes odiosae censentur, neque ex ipsa identitate rationis de casu ad casum sunt extendendae* (ibid. in *Iteramnem.* 14 aug. 1824, § *Perpendendum)*, dum contra *lex lata propter publicam utilitatem,* veluti in favorem religionis, *benigna et lata interpretatione interpretanda est.* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 530 n. 30 et seq. p. 13).

Can. 20.

Si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, norma sumenda est, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Curiae Romanae; a communi constantique sententia doctorum.

Hic regulae statuuntur de legibus supplendis, cum silent.

1. *Si certa de re...* idest specie facti, qua de cognoscere oportet, num respondeat paescripto iuris — *desit expressum praescriptum legis...* leges, nempe taceant — *sive particularis...* cuius est, ius commune necessitatibus aptare locorum particularium, eiusque, si opus sit, silentium supplere — *latis in similibus...* videlicet facti speciebus. Scilicet, lege silente, permittitur, ut etiam de similibus ratio habeatur, quod extante expresso praescripto legis, non permittebatur (cfr. comment. ad can. 18 n. 1). Quoties igitur casus inciderit, qui lege quidem non comprehenditur, sed ei qui comprehenditur similis est, ea lege uti possumus per eam interpretationem extensivam, quam nostrae ætatis iurisperiti *analogicam* vocant. — *a generalibus iuris principiis...* Cuius iuris? Videtur canonici tantum. Hac enim voce indeterminata *iuris,* semper in Codice ius canonicum intelligitur, et, cum non intelligitur, Legislator expresse significat. Ita can. 33 § 2: *praescriptum iuris, civilis in territorio vigentis*; can. 1058: *In iis regionibus, ubi lege civili legalis cognatio* etc.; can. 1080: *Qui lege civili inhabiles ad nuptias* etc.; can. 1513, § 2: *serventur, si fieri potest, sollemnitates iuris civilis,* etc.; can. 1529: *Quae ius civile in territorio statuit de contractibus,* etc. Sed praeterea, quamvis saepe principia nostri iuris ædem sint ac iuris civilis, non tamen eadem semper sunt: si ex. c. agatur de ecclesiarum iuribus in bonis temporalibus acquirendis, retinendis, administrandis, vel etiam de matrimonii indissolubilitate, nemo sane est, qui non videat, toto coelo distare aliquando principia utriusque iuris. Quomodo igitur potuisset Legislator ad principia communia remittere? Qua de causa, canon loqui videtur de principiis iuris canonici tantum. — *cum æquitate canonica servatis...* Primo fronte haec

verba id, quod nuper demonstravimus, refutare videntur: cur enim Legislator cavet, ut principia æquitate *canonica* serventur, nisi eo, quod ad utrumque ius pertineant? Sed, re diligentius considerata, patebit non esse argumentationi locum; generalia enim principia iuris, canonici quoque, per se applicari possunt nulla servata æquitate, nedum canonica, sed ne civili quidem. Quare, ex canone, et a principiis iuris nostri, et æquitate canonica, non civili, servata, norma sumenda est. Quid igitur æquitas? Ab *æquus* descendit, atque æqualitatem et inde etiam iustitiam significat, non quidem iuridicam, sed naturalem, qua interdum lenitur asperitas iuris. Unde Cicero (*pro Cæcina,* 13): *A verbis* (legis nempe) *enim recedis et æquitate uteris?* Ac postea (ibid. 23): *Ex æquo et bono, non ex callido versutoque iure rem iudicari oportere.* Et Papinianus (fr. 17 D. XXVIII, 3): *Licet subtilitas iuris refragari videtur, attamen voluntas testatoris ex bono et æquo tuebitur.* Quapropter æquitas civilis in moderando, iuxta rationis principia, rigore iuris consistit; siquidem, ut ait Paulus, *non omne quod licet honestum est* (fr 144 D. L. 17). Qua æquitate innixum, ius honorarium, quod in Urbem introductum fuerat *adiuvandi vel supplendi vel corrigendi iuris civilis gratia* (fr. 7 D. I, 1), per exceptionem doli aliasque multas, multasque itidem actiones eius rigorem cum moderaretur, ius romanum mirifice auxit atque perfecit; eademque de causa, S. Romanæ Rotæ decisiones toto fere orbe celebratæ sunt. Sed neque nostræ ætatis ius civile est ab æquitate alienum. At quid æquitas canonica? Profecto, cum salus animarum sit Ecclesiæ suprema lex, cui omnia, et ipsa iuris principia, aptare studet, æquitas canonica prae civili latissime patet, nullumque est legum ecclesiasticarum præscriptum, quod, cum opus sit, applicari soleat æquitate non servata. — *a stylo et praxi Curiæ Romanæ* ... Stylus (a στῦλος) tum columnam, tum instrumentum sculptorium significat, et inde etiam formam, characterem aut genus dicendi aut scribendi. Hinc Cicero (*de oratore* I, 33): *Stylus optimus et præstantissimus dicendi effector ac magister.* Unde et agendi rationem significavit. Quare stylus atque praxis idem sunt et cuiusque Curiæ sunt propria, ideoque ambo modum significant, quo sive iudicialiter sive extraiudicialiter negotia ecclesiastica pertractantur. Introducitur autem stylus ac cessat more consuetudinis, et, sicut consuetudo, *eliditur actibus contrariis* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 285 n. 15 p. 11) — *a communi constantique sententia doctorum* ... idest a privata iurisprudentia. *Communem* autem, ait D'Annibale cum Navarro (XXVII, 289) et Sánchez (*de s. matrim. sacram.* III, 44, 2), *eam sententiam accipimus, quam tenent sex graves doctores, rem ex professo tractantes* (*Summula,* vol. I n. 129). Constans vero ea sententia dicitur, quæ, postquam recepta est, nunquam corruerit.

2. Hoc itaque canone Legislator consulit ei, cui casus obvenerit, de quo desit expressum praescriptum iuris: proinde fontes docet, ex

quibus gradatim norma est desumenda. Et cum legem supplere oporteat, et *lex sit quod legislator voluit*, videndum est, quidnam legislator hac de re verisimiliter constituisset, si legem ferre voluisset.

Hinc primum exquirendum est, num inter ea, quæ legislator per legem statuit, aliquid reperiatur, quod propter similitudinem casuum propositæ speciei applicari possit: scilicet norma sumenda est a legibus latis in similibus. — Deinde, lege deficiente, qua directe innotescat voluntas legislatoris, recurrendum est ad fontes, de quibus ille haurire solet, videlicet ad iuris canonici principia. Haec quidem extra leges sunt, sed tamen iuri universo, tanquam causae, arctissime devinciuntur. — Tertio, deveniendum est ad legum interpretationes, iussu supremi legislatoris in re peculiari datas, idest ad stylum Curiae Romanae, qui magis etiam est a lege remotus, sed tamen ius facit inter partes. — Denique non restat, nisi privata virorum prudentum opinio, quae nullum ius facit, et tantum valet quantum probat.

Itaque canon gradatim progreditur a lege usque ad meram sententiam privatorum, hac, ni fallor, ratione ductus, quod, cum legis interpretatio sit expressio genuina voluntatis legislatoris, a legislatore incipere ac cum privata persona desinere oportebat.

Ex eo autem excipiuntur casus, in quibus agatur de poenis applicandis, quia, cum lex poenalis strictae subsit interpretationi (can. 19), ad similia porrigi non potest.

3. Consentit iurisprudentia. Etsi enim *simile quod est, idem non est* (S. Rota, in *Recentior*, decis. 533 n. 5 p. 4 t. I), tamen *de similibus ad similia in iure forte est argumentum* (ibid. Annot. ad decis. 262 n. 127 p. 8). *Quapropter in similitudinem habentibus facilior est transitus* (ibid. n. 129 es seq.), et *iudices obscuras factorum controversias, sub lege non comprehensas, ex probabilibus argumentis definire debent* (ibid. decis. 594 n. 30 p. 5 t. I). Proinde semper *iudicis officium implorari potest ubicumque deficit actio, si aequitas id suadeat* (ibid. decis. 385 n. 23 p. 5 t. II): *nobile* enim *officium iudicis fundatur in aequitate* (ibid. decis. 327 n. 15 p. 5 t. I), quae est *admirabile quoddam temperamentum, quod ex perfecta ratione omnia moderatur* (ibid. Annot. ad decis. 28 n. 39 p. 3), *iuris subtilitatibus sepositis* (ibid. in *Nuperr.* decis. 359 n. 1). *Stylus* autem *facit ius, praesertim si agatur de stylo Curiae* (ibid. in *Recentior.* decis. 539 n. 5 p. 2). Demum *lege in specie non determinante, communes doctorum sententiae ius faciunt* (ibid. in *Nuperr.* decis. 256 n. 10 et 11), *ita tamen, ut non valeat, in ancipiti iuris quaestione, respicere potius ad numerum doctorum, quam ad rationes* (ibid. in *Recentior.* Annot. ad decis. 460, n. 16 et seq. p. 4 t. II).

Can. 21.

Leges latae ad praecavendum periculum generale, urgent, etiamsi in casu peculiari periculum non adsit.

Canon, cum duobus sequentibus, est de cessatione legum ecclesiasticarum. Et primum, de cessatione per revocationem praesumptam legislatoris: quod nempe lex corruat, fine deficiente.

1. *Leges latae ad praecavendum periculum generale...* Plerumque leges ex praesumptione feruntur. Est autem praesumptio *rei incertae probabilis coniectura* (Reiffenstuel, *Ius canonic. univers.* II, 23, 3), et alia *hominis* est, alia *iuris*. Illa in aestimatione boni viri consistit, haec legibus introducta est, et dicitur mere praesumptio *iuris*, si quacumque contraria probatione elidi possit, veluti est ex. c. praesumptio de cognitione legum promulgatarum (can. 16, § 2); dicitur autem *iuris et de iure* si elidi non possit, nisi indirecte, idest contraria probatione, quae non praesumptionem evertat, sed praesumptionis fundamentum, veluti est ex. c. praesumptio de veritate ac iustitia sententiae iudicialis, postquam causa in rem iudicatam transierit (can. 1904). Rursus praesumptio, quae a iure fit, aut est *facti* aut *periculi*. Illa locum habet, cum legislator ex eo, quod factum aliquod communiter contingit, semper contingere praesumit, et huiusmodi praesumptione fretus, aliquid lege aut iubet aut vetat aut punit aut permitti: ita ex. c. quia multae controversiae oriri solent fideiussionum causa, per can. 137 *clerici a fideiubendo, etiam de bonis propriis, prohibentur, inconsulto Ordinario*. Praesumptio vero periculi locum habet, cum legislator, animadvertens periculum communitati imminere, legem fert ad periculum vitandum: ita ex. c. cum ex matrimoniis mixtis, fidei partis catholicae periculum oriatur, can. 1060 cavet, *ne matrimonia ineantur inter duas personas baptizatas, quarum altera catholica sit, altera vero sectae haereticae aut schismaticae adscripta*. Et de his legibus loquitur canon. At quando lex fundatur in praesumptione periculi? Ex tenore legis eruendum est: sed interdum iudicium est perdifficile. — *generale...* idest, quod communitati immineat; quod si immineat singulis, non lex fertur, sed praeceptum datur (cfr. comment. ad can. 24 n. 1) — *urgent...* Urgere hic *premere* aliquomodo significat: quo sensu Virgilius (*Aeneis*, X, 373):

Ferro rumpenda per hostes
est via, qua globus ille virûm densissimus urget.

Et paullo post (ibid. 433):

Hinc Pallas instat et urget,
hinc contra Lausus.

Unde, iuridica significatione, idem est ac tenere, obligare; et est vox

in iure nostro saepe usitata. — *etiamsi in casu peculiari periculum non adsit...* hoc est, etiamsi in casu peculiari finis seu ratio legis deficiat. Tunc autem ratio legis deficere dicitur, cum causae deficiunt, propter quas lata est lex, si nempe eo res devenerit, quo lex condita non esset, et ideo saltem inutilis fiat. Possunt vero causae legis ex toto vel ex parte deficere; rursus deficere possunt privative, idest ita, ut lex noxia fiat, aut negative, idest ita ut fiat inutilis; demum deficere possunt aut quoad communitatem aut quoad singulos. Age modo: si, propter mutatas circumstantias, causae legis ex toto (idest omnes et sub omni respectu) quoad communitatem defecerint, sive id fiat privative sive negative, patet tum legem prorsus corruere et neque communitatem, neque proinde singulos, amplius tenere: cum enim *ratio legis sit anima legis,* ratione ex toto deficiente, quidquid roboris est in lege deficere debet; si vero causae legis quoad communitatem quidem, sed non ex toto defecerint, sive item id fiat privative sive negative, inde etiam patet, legem tunc ex parte manere, et tum communitatem tum singulos ex parte tenere. Quod si causae legis non quoad communitatem, sed quoad singulos ex toto vel ex parte defecerint, tunc distinguendum est: si negative defecerint, cum communitate lex etiam singulos tenere pergit, *leges* enim *natura sua tales sunt, ut immediate respiciant communitatem,* non singulos (S. C. C. 28 ianuar. 1899); contra, si defecerint privative, obligatione communitatis manente, quoad singulos ex toto vel ex parte lex sublata censetur: etenim meno tenetur legem mere ecclesiasticam servare cum suo gravi damno. Et huc recidit casus peculiaris, de quo loquitur canon: agitur enim de legibus latis ad praccavendum periculum generale, hoc est de legibus fundatis in praesumptione periculi. Huiusmodi autem leges, secus ac illae, quae in praesumptione facti fundantur, nunquam censentur quoad singulos sublatae ex eo, quod earum ratio etiam privative et ex toto quoad singulos defecerit, nisi aliunde singuli excusentur aut in eis dispensatum fuerit.

2. In primis nihil mirum leges et rationabiles esse debere et simul revocari posse: est enim in legibus elementum caducum, idest circumstantiae seu causae ex quibus enascuntur, quaeque per se semper mutabiles sunt. At circumstantiis mutatis, deficit ratio legis, ideoque eius rationabilitas. Tum lex irrationabilis fit et proinde saltem inutilis: quare, etiamsi expresse aut tacite non revocetur, revocata praesumitur.

In canone igitur Legislator admittit exceptionem, ut firmet regulam in contrarium. Exceptio adest, cum agitur de legibus fundatis in praesumptione periculi: scilicet hae leges, quoad singulos urgere pergent, etiamsi in casu peculiari, hoc est etiamsi quoad singulos, periculum non adsit, quamvis nempe ratio legis et ex toto et privative defecerit. Et cur exceptio haec? Profecto, quia hae leges maximi sunt

momenti, utpote quae publicum bonum propius respiciunt; vel etiam ex eo, quod secus, propter faciles hac in re hominum hallucinationes de facto minime servarentur.

Sed exceptio firmat, uti diximus, regulam in contrarium: et ideo ceterae leges, quae in praesumptione periculi non fundantur, si in casu peculiari, hoc est si quoad singulos subditos, earum ratio defecerit ex toto et privative, quoad singulos sublatae praesumuntur. Itemque leges omnes, illae etiam quae fundantur in praesumptione periculi, si non quoad singulos, sed quoad communitatem earum ratio sive privative sive negative ex toto defecerit, praesumuntur sublatae non modo quoad singulos, sed quoad communitatem ipsam: ratio enim legis est anima legis.

3. Idque tenet iurisprudentia Curiae. Scilicet, *ex Innocentii III monitu, non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana. Mutata quippe temporis causa, quod recte ante factum fuerat, ita mutari vera ratio plerumque postulat, ut, cum ipsi dicant, recte non fieri si mutetur, contra veritas clamet, recte non fieri nisi mutetur; quia utrumque erit rectum, si erit pro temporum varietate diversum* (S. C. C. in *Foripompilii*, 1 febr. 1834, § *Plura*). Proinde *leges veteres possunt iustissime abrogari, licet iustissime conditae sint, si postea successu temporis videatur id expedire* (S. Rota, in *Recentior.* Annot. ad decis. 28 n. 263 p. 10). Ceterum *cessante causa seu fine legis, cessat quoque dispositio legis* (S. C. C. in *Foripompilii*, 1 febr. 1834, § *Hinc*), nam tunc *omnis eius vis et potestas corruit ac penitus evanescit* (ibid. in *Lunen.-Sarzanen.* 18 sept. 1824, § *Nullo*). Quod tamen non accidit, si lex fundetur in praesumptione periculi. Ita ex. c. *libri ab Apostolica Sede damnati, ubique gentium prohibiti censentur* (Leo Pp. XIII, constit. *Officiorum*, 26 ianuar. 1837). Et cum agatur de lege in praesumptione periculi fundata, huiusmodi *libros legere aut retinere illicitum est, licet bona intentione legantur* (S. C. S. Off. 2 ianuar. 1817); et ideo dispensatio semper petenda est, etiamsi agatur *de christianis doctis et bona mente praeditis*, et libri non quaerantur, nisi *ad effectum eos impugnandi* atque *secluso perversionis periculo* (S. C. de Prop. Fide, 18 mart. 1838).

Can. 22.

Lex posterior, a competenti auctoritate lata, obrogat priori, si id expresse edicat, aut sit illi directe contraria, aut totam de integro ordinet legis prioris materiam; sed, firmo praescripto can. 6 n. 1, lex generalis nullatenus derogat locorum specialium et personarum singularium statutis, nisi aliud in ipsa expresse caveatur.

Praetermissa tacita legis revocatione, quae fit per consuetudinem contra legem, de qua postea (cfr. comment. ad can. 27), hoc in canone

Legislator agit de revocatione expressa atque tacita, quae fit per legem.

1. *Lex posterior* ... idest, quæ post aliam promulgatur — *a competenti* ... Competens hic dicitur ea auctoritas, cuius est legem ferre. Loquitur proinde canon de Principibus ecclesiasticis eorumque successoribus ac Superioribus, qui plena potestate regiminis fruuntur ideoque et potestate legifera. (cfr. comment. ad can. 8 n. 2) — *auctoritate* ... Auctoritas (ab *auctor*) est qualitas auctoris, qua quis aliquid agit, gignit, producit. Inde sumitur etiam pro persona, quæ auctoritate gaudet. Unde Cicero (*de natura deor.* 3): *Sed tu auctoritates contemnis.* — *obrogat...* idest aliquid mutat ex priore lege, sive eam abrogando sive ei derogando (cfr. commen. ad can. 3) — *si id expresse edicat* ... Scilicet, sive nominatim edicat se priorem legem abrogatam esse velle, aut quibusdam eius articulis derogatum; sive abrogationem aut derogationem significet per clausulam generalem « contrariis quibuscumque non obstantibus » vel æquipollentem, edicto appositam. Et haec expressa legis revocatio est, etiamsi directe nihil contra constituat. — *aut sit illi directe contraria* ... sive ex toto, et tunc lex prior abrogata censetur; sive ex parte, et tunc censetur ei derogatum. Idque, cum fit absque ulla prioris legis expressa revocatione, legislator dicitur legem tacite revocare. — *aut totam de integro ordinet legis prioris materiam* ... si nempe eandem materiam, et quidem universam, novo ordine novave forma per legem proponat, etiamsi nullam veteris legis mentionem faciat aut quidquam contra eam directe constituat. Et haec etiam est tacita revocatio. — *sed firmo praescripto can. 6 n. 1* ... quo praescripto, *leges quaelibet sive universales sive* etiam *particulares, praescriptis Codicis oppositae,* abrogabantur, iis legibus particularibus exceptis, de quibus aliud expresse in Codice caveretur. Itaque firmatur, contra canonis huius 22 tenorem, eiusmodi praescriptum canonis 6 praeliminaris de Codicis vi ac potestate: quare verba, quae sequuntur, non Codicem respiciunt, sed futuras leges generales seu *generalia decreta*, quae ab Ap. Sede, *gravi Ecclesiae universae necessitate suadente ferantur*, atque a Commissione, Codici interpretando praeposita, ad formam canonum redacta, aut veteribus sufficiantur aut absque ulla mutatione adiiciantur (Benedictus Pp. XV, motu-propr. *Cum iuris*, 15 sept. 1917 II et III). Praescriptum igitur canonis in canone aliquo firmari, est a canonis huius sententia, canonis illius praescriptum excipere. — *lex generalis* ... idest, quae eos, pro quibus lata est, toto orbe tenet, quaeque solummodo ab Ap. Sede ferri potest (cfr. comment. ad can. 13 n. 1) — *locorum specialium* ... territoriorum nempe aut locorum, intra fines Ecclesiae existentium, quae immediate lex territorialis afficere censetur — *et personarum singularium* ... videlicet moralium personarum, quae uti singulae, aut etiam physicarum, quae uti coetus (ex. c. clerus cuiusdam dioecesis),

legis particularis sint capaces — *statutis* ... Can. 5 ait: *horum statuta canonum*; hic autem can. 22: *locorum specialium et personarum singularium statutis*; demum can. 410 § 1: *Sua cuique Capitulo statuta ne desint.* Quare multiplex est huius vocis significatio: canone enim 5 sumitur pro *id quod statuitur*, et est significatio etymologica; vel, si magis placet pro *legibus generalibus* quae canonibus Codicis continentur, et est significatio realis latissima; canone autem hoc 22, sumitur pro lege particulari, et est significatio lata; denique can. 410, pro pacto ex communi sententia convento (Capitulum enim leges ferre non potest), et est significatio stricta. Haec tamen statuta stricte sumpta, postquam Episcopus probaverit, *sine eius auctoritate nec abrogari possunt nec mutari* (can. 410 § 2) et ideo vim legis acquirunt. Hisce igitur statutis seu constitutionibus universis, futurae (non quae Codice continentur) leges generales, nisi id expresse caverint, non derogabunt: nam *speciale mandatum derogat* quidem *generali* (c. 1, X *de rescript.* I, 3), sed non vicissim. Itaque, dum pars prima canonis omnes respicit legislatores atque leges, altera canonis pars, nonnisi ad leges generales (quibus locorum et personarum statuta contraponuntur) pertinet, et proinde ad solam Ap. Sedem.

2. Expenduntur in canone omnes modi, quibus expresse aut tacite lex per legem revocari potest. Expressa autem est legis revocatio, cum legislator voluntatem revocandi expresse manifestat, idest, cum per novam legem expresse edicit, veterem abrogare se vel ei derogare velle. Et cum lex omnem suam vim ac potestatem sortiatur a voluntate legislatoris, hac sublata, eam corruere necesse est.

Tacita vero est legis revocatio, praeterquam quod, cum legislator in contrariam consuetudinem consentit (cfr. comment. ad can. 25), cum etiam legem fert ei directe contrariam: tunc enim contrariam voluntatem manifestat; vel cum veteris legis materia universa per novam legem de integro ordinatur: siquidem nova hac ordinatione legislator demonstrat, noluisse se priorem legem extare sub veteri forma. Quae omnia uno eodemque principio innituntur: esse legem *id, quod legislator voluit* (S. Rota, 22 ianuar. 1910).

Attamen, quo quis velle dicatur, sciat prius necesse est, etenim *nihil volitum, quin praecognitum.* Hinc Ap. Sedes per generalem legem obrogat quidem, expresse aut tacite, legi generali contrariae, nam *Romanus Pontifex iura omnia* (videlicet communia) *in scrinio pectoris sui censetur habere* (c. 1, *de constitution.* I, 2 in VI°), sed, *nisi expresse caveat, non intelligitur in aliquo derogare locorum specialium et personarum singularium statutis:* quandoquidem, *quum sint facti* (si scilicet cum iure communi comparentur) *et in facto consistant, potest* (Romanus Pontifex) *probabiliter ignorare* (ibid.). Contra, si aliud, aut nominatim aut per clausulam generalem, caveatur expresse, aperte tunc significare

censetur, et ea se cognovisse et derogare voluisse. Quod etiam contingit, si agatur de lege ab Ap. Sede in peculiare territorium aut moralem personam specialiter lata, cum nemo praesumatur factum proprium ignorare.

3. Quopropter *novum non est, iustis de causis, leges semel latas rite revocari, abrogari et immutari, tum per ipsum legislatorem, tum per eius successorem* (S. C. C. in *Cesenaten.* 6 iun. 1840, § *Quod*). Hinc *sancitum est, quod lex posterior veterem abrogat, licet de ea nulla mentio in nova exciderit* (S. C. C. in *S. Miniatis*, 19 maii 1832, § *At*). Unde *lex seu constitutio nova Principis tollit priorem sibi directe contrariam, etiamsi de ipsa non faciat mentionem* (S. Rota, 30 ianuar. 1913), vel etiam *dispositio dicitur revocata propter incompatibilitatem in alia dispositione factam* (ibid. in *Recentior.* decis. 100 n. 3 p. 18 t. I).

Quoad statuta vero seu constitutiones locorum specialium ac personarum singularium, *sufficienter censetur eis derogatum per clausulam generalem derogatoriam statutorum* (ibid. decis. 484, n. 1 p. 4 t. II et alibi). *Et propterea dispositio cum clausula « non obstantibus quibuscumque » importat derogationem quarumcumque constitutionum in contrarium* (ibid. decis. 308 n. 2 p. 4 t. I). *Quaevis* autem *derogatio est stricti iuris et per hoc strictam recipit interpretationem* (ibid. decis. 584 n. 39 p. 5 t. II et alibi).

Can. 23.

In dubio revocatio legis praeexistentis non praesumitur, sed leges posteriores ad priores trahendae sunt et his, quantum fieri possit, conciliandae.

Canon, canoni 15 parallelus, docet quid sit agendum, cum dubia est revocatio legis.

1.. *In dubio...* Uti supra vidimus (cfr. comment. ad can. 15 n. 1), dubium aut positivum esse potest aut negativum, et rursus aut subiectivum aut obiectivum seu probabile. — *revocatio legis praeexistentis non praesumitur...* idest, non praesumitur a Superiore vel iudice ecclesiastico, proindeque ab eo, cuius interest, debet probari, quodcumque sit dubium, etiamsi positivum et probabile. — *trahendae sunt...* Trahere idem est atque compellere, et hinc etiam adducere. Unde Cicero (X *ad famil.* 4): *Quid est, quod me in aliam partem trahere possit?* Inde vero sumitur pro *vertere in aliam partem, accipere aut interpretari.* Quare Tacitus (*Annal.* IV, 64): *fortuita ad culpam trahentes.* Et alibi (ibid. XII, 52): *idque ad clementiam Caesar trahebat.* Proinde posteriores leges ad priores trahere, est ita eas interpretari, ut priorum etiam ratio habeatur. — *quantum fieri potest...* Et plus minusve, si dubium positivum sit atque probabile, semper potest fieri: tunc enim dubium in eo consistit, quod lex nova de facto aperte veteri non contradicat. —

et his conciliandae... Conciliare proprie est simul coniungere, unire, copulare. Unde Lucretius (*de rer. natura* V, 465):

> *Omnia quae sursum cum conciliantur in alto,*
> *corpore concreto subtexunt nubila coelum.*

Et inde dictum est de coniunctione animorum. Ita Cicero (V *ad famil.* 7): *Non dubito, quin res publica nos inter nos conciliatura sit.* Leges duas igitur conciliamus, cum utramque sine alterius praeiudicio interpretamur.

2. Diximus legem id esse, quod legislator voluit. Quod autem semel est volitum, semper volitum censeri debet, nisi ex nova lege constet legislatorem a proposito discessisse. Discessisse vero non constat, cum, utrum discesserit, ambigitur dubio positivo et probabili.

Praeterea odiosum est id evertere, quod consuetudine firmatum est: ideoque, cum *leges*, ut ait gratianus (c. 3 D. IV) *firmentur, cum moribus utentium comprobantur,* odiosa fit quaevis legum revocatio aut correctio. Unde lex gaudet favore iuris.

Quum igitur *expediat concordare iura iuribus, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari* (c. 29 *de electione et electi potest.* I, 6 in VI), hinc ea descendunt, quae in canone habentur, scilicet et revocationem legum in dubio non presumi, et posteriores leges ad priores trahere atque cum iis conciliari oportere. Idque haud erit difficile, si, ut Iustinianus Aug. suadet (const. *Tanta,* 15), *quis subtili animo diversitatis rationes excutiet:* scilicet, perspectum tum erit, esse plerumque in legibus, quae discrepare videbantur, *aliquid occulte positum, quod dissonantiae querellam dissolvat.*

3. Quare, *leges correctoriae iuris antiqui stricte interpretandae sunt* (S. C. C. 28 ianuar. 1899), nam *correctio iuris odiosa est, et* (quoad fieri potest) *omnino vitanda* (S. Rota, 18 ianuar. 1910): et ideo *non censetur inducta, nisi expresse appareat* (ibid. in *Recentior.* decis. 20 n. 26 p. 17) *vel nisi necessaria alterius legis incompatibilitate id suadente* (ibid. n. 27). *Ad eam* autem *evitandam sumenda est omnis interpretatio* (ibid. decis. 417 n. 5 p. 4 t. I et alibi). Proinde *non praesumitur* (S. C. C. in *Ferrarien.* 16 decembr. 1854, § *Praecipuum*); et *si leges non sint diversae, nec inter se incompatibiles, omnes servandae sunt* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 289 n. 6 p. 12). Praeterea *quidquid nova lege specialiter non videtur expressum, id veterum legum constitutionumve regulis, omnes relictum intelligere debent* (S. C. C. in *Forolivien.* 38 iul. 1838, § *Neque meliori*): scilicet, *lex praecedens determinatur per legem sequentem, et posterior ad priorem pertinet* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 404 n. 18 p. 19) seu *lex una cum temperamento alterius est intelligenda* (ibid. Annot. ad decis. 666 n. 107 p. 4 t. III).

Can. 24.

Praecepta, singulis data, eos, quibus dantur, ubique urgent, sed iudicialiter urgeri nequeunt et cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint.

Canon est de virtute, probatione ac cessatione praeceptorum, quae singulis dantur.

1. *Praecepta...* Praecipere eius est, qui praeest. Age porro: si is, qui praecipit, potestatem legiferam habeat; si communitati legis ecclesiasticae capaci praecipiatur; si denique praeceptum conceptum sit sine limitatione temporis et casuum: praeceptum lex dicitur. Nihil enim aliud est lex, ut ait Papinianus, nisi *commune praeceptum* (fr. 1 D. 1, 3). Cum vero praeceptum aliquo horum requisitorum caret, legis rationem non obtinet et nomen non mutat. Quidquid igitur praecipit Superior ecclesiasticus, habens quidem potestatem dominativam, sed legifera carens: quidquid praecipitur singulis hominibus, vel communitati quae legis ecclesiasticae capax non sit; quidquid denique praecipitur cum limitatione temporis aut casuum, non lex est, sed praeceptum. — *singulis data...* Datio praecepti respondet promulgationi legis, et sicut leges tunc instituuntur cum promulgantur (cfr. comment. ad can. 8), ita praecepta, cum dantur esse incipiunt. Tamen non semper statim urgent: dari enim possunt cum conditione suspensiva vel ex die; et tunc, si conditio apposita sit, suspensa manent, donec conditio impleatur; si vero adiecta dies, nonnisi hac superveniente obligare incipiunt. Praeterea praeceptum *purum* esse potest vel *alternativum*; sed alternativum, postquam ille, cui datum est elegerit, purum fit (cfr. D'Annibale, *Summula*, vol I, n. 248). Dari autem praeceptum potest ab eo, qui potestate saltem dominativa gaudet (cfr. Introduct. Tit.), veluti pater, Superior aut Antistita religiosae domus. Item dari potest vel ad praefinitum tempus vel sine temporis limitatione; cum adnexa poena vel sine poena. Demum vel dari potest singulis vel communitati (cfr. comment. ad can. 26 n. 1). Hoc autem in canone Legislator non quae communitati dantur, sed quae singulis praecepta considerat. — *ubique urgent...* idest personae inhaerent subditorum, eamque sequuntur velut umbra corpus, etiam extra territorium praecipientis, quocumque ierit, toto orbe; nisi, ut patet, praecipiens, expresse aut tacite, intra territorium coarctet. Poena vero praeceptum sequitur, cui adnexa est. Unde quaestio hac de re diu exagitata (cfr. Suarez, *De censuris,* disp. V sect. 5; Pirhing, *De legibus* n. 59; D'Annibale, vol. I n. 249; Lega, *De iudiciis eccl.* t. III p. 101 etc.) authentice hic solvitur a Legislatore. — *sed iudicialiter urgeri nequeunt...* idest, servata forma processus ecclesiastici. Neque igitur a praecipiente, neque

ab eo, ad cuius forte utilitatem praeceptum datum fuerit, urgeri potest iudicialiter; possunt tamen urgeri forma iudiciali non servata. — *et cessant resoluto iure praecipientis...* secus atque de legibus contingit; et cum praecepto cessat poena, nisi iam incursa fuerit. Ius autem praecipientis tunc resolutum hic dicitur, cum, quavis de causa, is qui praeceperat amplius legitime praecipere non potest, veluti si Superior ecclesiasticus morte, renunciatione, translatione, privatione, officio deciderit. Altera hic quaestio authentice a Legislatore definita est: controvertebatur enim ante promulgationem Codicis, an resoluto iure praecipientis, praecepta permanerent (cfr. Suarez, I *De legibus*, c. 10 n. 10; Lehmkuhl, t. I n. 141; D'Annibale, vol. 1 n. 249; Lega l. c. p. 100; Wernz, t. I n. 135). — *nisi per legitimum documentum...* Tunc documentum legitimum est, cum iure factum est, iis nempe servatis, quae a lege vel legitima consuetudine ad eius validitatem requiruntur. — *aut coram duobus testibus...* non minus igitur quam duo, et qui quidem postea in iudicio testari possint. Testari autem non possunt, ut minus idonei, impuberes et mente debiles; ut suspecti, excommunicati omnes, periurii, infames post sententiam, fide indigni propter abiectos mores et publici gravesque partis inimici; demum, ut incapaces, qui partes sunt in causa aut partium vice funguntur; sacerdotes quoad ea, quae ex sacramentali confessione sibi innotuerunt; coniux, consanguineus, affinis partis in causa (can. 1757). Sive autem ex documento sive ex testibus, constare debet a quo, quid, quomodo, quando praeceptum sit; an sub conditione suspensiva vel ex die, cum poena vel sine poena.

2. Ex canone igitur eruitur praecepta, quae singulis (non communitati) dantur, vi sua urgere ubique; praeterea, nisi per documentum aut coram testibus data fuerint, nihil valere in iudicio et cessare cum officio praecipientis. Quaenam harum dispositionum ratio? Nimirum, quemadmodum lex fertur ad bonum commune, praecepta praesertim imponuntur ad bonum privatum subditorum. Proinde natura sua praeceptum eo usque se extendere debet et tempore et spatio, quo patent boni privati necessitates. Hae autem, et privatam subditi personam sequuntur quocumque, et usque ad finem vitae; dum, contra, necessitates publicae alicuius communitatis territorialis (ex. c. dioecesis), et saepe a loci circumstatiis ita dependent, ut alibi eaedem non reperiantur, et vitae subditorum omnino fines excedunt. Dum ergo lex et territorialis praesumitur et permanens est natura sua, praeceptum singulis datum, personale esse oportet et instar humanae vitae caducum, idest finem vitae privatorum ad summum pertingens. Hinc est, quod praecepta ubique urgent, hinc quod canone modus statuitur, quo vim suam integram servare possint, etiam resoluto iure praecipientis. Nam, quomodo iudicialiter urgeretur, quod iudicialiter probari non posset? Et quomodo praeceptum non evanesceret, illius iure resoluto, qui solus, et quidem

extraiudicialiter tantum, urgere illud poterat? Merito igitur placuit Legislatori, ut qui censerent sua subditis praecepta fore utiliora, si suo resoluto iuri superfuerint et potuerint iudicialiter urgeri: hi voluntatem suam manifestarent decumento vel, quod in idem recidit, testibus adhibitis.

Et quid de praeceptis, quae communitati dantur? De his nihil in canone. Tamen, et ipsa urgere ubique planum est, nisi ex praecipientis verbis aut factis pateat, aliam eius fuisse voluntatem. Omne enim praeceptum, etiam communitati datum, et ideo legi proximius, subditos semper directe afficit, etiam cum imponitur a Superiore territoriali: semper enim est ad privatum bonum non publicum. Huius autem praecepti duratio metiri debet natura communitatum, quae generatim natura sua perpetuae sunt. Unde et praeceptum ipsum, quod communitati imponitur, nisi ex eius tenore aliud appareat, censendum est perpetuum. Et nullum requiritur documentum, cum communitati universae publicetur.

Quae hucusque dicta sunt, breviter resumamus. Eorum est praecipere, quibus aut iure divino aut facto humano ius est praecipiendi. Praecipere autem quis potest generaliter (idest communiter ac in perpetuum) vel specialiter (idest aut non in perpetuum aut non communiter: can. 24): si primum, praeceptum lex dicitur. Est igitur lex ecclesiastica *Principum ecclesiaticorum praeceptum commune, perpetuum, ad bonum subditorum promulgatum.* Hinc omnia descendunt, quae a Legislatore hoc in titulo statuuntur.

Cum enim lex praeceptum sit *Principum ecclesiasticorum*, statim ac a Principe promulgata est, ut instituta habetur (can. 8 § 1) absque ulla populi acceptatione. — Deinde, cum *promulgatum* praeceptum sit, lex (eo modo, quo legislatori placuerit: can. 9) promulgari oportet, nam ante promulgationem non existit. Semel autem promulgata, ignorantia aut error (quae si adsint, plus minusve a culpa, etiam iuridica, excusant, nisi agatur de ignorantia affectata aut de legibus irritantibus) non praesumitur (can. 16) et proinde debet probari. Contra, dubium, quod vere dubium sit, nempe positivum, si quidem sit iuris, excusat a lege servanda etiam irritanti aut inhabilitanti; si vero facti, intercedere potest Ordinarii cuiuslibet dispensatio (can. 15). — Praeterea, cum lex sit *praeceptum*, considerari potest ex parte praecipientis, ex parte eius cui praecipitur, et ex parte ipsius praecepti. Ex parte praecipientis, lex territorialis esse potest aut personalis; quod si territorialis, aut generalis est, et tunc eos, pro quibus fertur ubique urget (can. 13 § I); aut fertur pro peculiari territorio, et tunc incolas, advenas (ibid. § 2) atque vagos (can. 14 § 2) tenet, in territorio actu commorantes, non tamen peregrinos, nisi aut ordini publico consulat aut actuum sollemnia deter-

minet (can. 24 § 1). Personales autem esse constat leges, quae feruntur a Superioribus religionis clericalis exemptae, quae, qua talis, territorio caret; ceterae leges territoriales praesumuntur (can. 8 § 2). Ex parte vero eius, cui praecipitur, lex ferri non potest, nisi in subditos, et quidem legis capaces. Subditi igitur non sunt, qui baptismum non receperunt, vel qui legislatoris iurisdictioni non subsunt; capaces non sunt, qui, quamvis receperint, usu rationis non gaudent aut, etiamsi gaudeant, septennium non expleverunt (can. 12). Demum, ex parte ipsius praecepti, lex actus praeteritos personarum non irritat, neque inhabilitat personas (can. 10), imo nec in futurum, nisi expresse edicat (can 11): non nim praeterita, sed futura praecipiuntur. Adde, quia omne praeceptum verbis aut literis exprimitur, legem esse interpretandam. Quod cum legislator ipse facit, si faciat per modum legis, interpretatio authentica est et vim legis habet (can. 17 et 2), sin per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, interpretatio authentica quidem est, tamen vim legis non habet, sed praecepti tantum, et solummodo pro personis ac rebus pro quibus data est (can. 17 § 3). Cum vero non legislator, sed subditi legem interpretantur per consuetudinem secundum ius, quamvis tunc interpretatio authentica non sit, magnam tamen habet auctoritatem, uti postea videbimus. Denique cum iurisperiti, vel utcumque privati homines, legem interpretantur, eorum sententia tantum valet, quantum ratio probat. Utque genuina eius voluntas, in generalibus Ecclesiae legibus, per hanc doctrinalem interpretationem deprehendatur, Legislator noster, quae servandae sunt, normas statuit. Verba igitur legis primum sunt perpendenda, deinde ad locos parallelos recurrendum est, ad legis finem ac circumstantias, denique ad mentem Legislatoris (can. 18). Quod si lex poenam constituat aut exceptionem a iure communi, aut liberum communium iurium exercitium coarctet, stricte est interpretanda (can. 19). Tandem, si in peculiari casu lex sileat, ad analogiam recurrere oportet, ad principia iuris, ad stylum Curiae et, postremo loco, ad privatam sententiam doctorum (can. 20). — Insuper, cum lex feratur *ad bonum subditorum*, rationabilis esse debet, idest rationi conformis, personarum ac rerum adiunctis consideratis. Et si rationabilis non est, neque lex est: non enim irrationabiliter quidquam praecipi potest. — Demum, cum lex sit *commune* praeceptum, nonnisi in communitatem (cfr. can. 26) aut personarum coetum; cum vero *perpetuum* sit, nonnisi in communitatem natura sua perpetuam ferri potest. Verum, lex eatenus perpetua est, quatenus durat usquedum a legislatore non revocetur. Revocatur autem lex aut expresse aut tacite aut praesumptive: expresse quidem aut tacite, cum legislator, per posteriorem legem, edicit anteriorem se revocatam velle, aut aliquid lege statuit priori legi contrarium, vel totam de integro ordinat prioris materiam (can. 22), vel contrariae consuetudini non obsistit; praesum-

ptive vero lex revocata censetur, cum, deficiente fine, inutilis evadit et proinde irrationabilis: quod tamen non contingit, si lex innitatur praesumptione periculi, nisi cum finis legis et quoad omnes deficit et ex toto (can. 21). Quod si revocatio sit positive dubia, lex revocata non censetur (can. 23).

TITULUS II.

DE CONSUETUDINE.

Hactenus de legibus ecclesiasticis, modo Legislator de consuetudine agit: *inveterata enim consuetudo pro lege non immerito custoditur* (fr. 32 D. I, 3).

Cum, uti supra diximus (cfr. Introduct. ad Tit. I), omnes gentes initio legibus carerent, moribus, idest consuetudinibus, regebantur, quae legis locum tenebant. Orti vero sunt mores pro cuiusque populi ingenio, religione, cultu, ratione vitae. Hinc principia, hinc necessitates, iuxta quae cum primoribus visum fuerit et sacra et connubia et acquisitionem dominii et contractus et in bona defunctorum successiones fieri oportere, ne irrita cuncta vel illicita essent, ius consuetudinarium constitutum est, cui parere sollemne fuit filiis atque nepotibus. Itaque et hac in re verum est, ut ait Modestinus (fr. 40 D. I, 3), *omne ius* (humanum) *necessitate constitui, consensu fieri, consuetudine firmari.*

Has igitur consuetudines plurimi fecit antiquitas, etiamsi postea leges latae fuerint, quibus moris primigenii optima quaeque instituta aere exprimerentur. Jure Romanorum, consuetudo legi aequiparata est: *nam*, ut ait Julianus (fr. 32 D. I, 3), *cum ipsae leges nulla alia causa teneant, quam quod iudicio populi receptae sunt, merito et ea, quae sine ullo scripto populus probavit, tenebunt omnes.* Imo Paulo (fr. 36 D. I, 3) tanta consuetudini auctoritas inesse videtur, *ut non fuerit necesse scripto id comprehendere.* Ab invecto autem principatu per tria fere saecula vim suam consuetudo servavit. At, aetate aurea iurisconsultorum elapsa, enervataque apud omnes conscientia iuris, Principes potestatem universam in se unos redegerunt. Unde Constantinus Aug. celeberrima constitutione, a. 319 ad Proculum, Africae proconsulem, missa (l. 2 Cod. *quae si longa consuetudo),* negavit *consuetudinem usque adeo sui esse valituram momento, ut legem vinceret*: idest, ait Azo, *consuetudinem derogare legi, nisi lex consuetudinem prohibuerint* (1) Ideoque consuetudo

(1) Quare perperam Zachariae (*Corso* etc. Aubry e Rau trad. ital. Landucci P. I c. II § 16) extistimat, *constitutionem Constantinianam absurde interpretari, qui velit inde consuetudinem vim amisisse legibus derogandi;* et *Constantinum Aug., nisi eius verba aliter explicari possint, non recte de consuetudine sensisse*: non enim nobis de Principis opinionibus, sed de voluntate quaerendum est, an nempe instituti iuridici

vim legis obtinere iam non poterat, nisi ex legali consensu Principis, huic constitutioni implicito, atque tandiu duraturo, quoad placeret lege consuetudinem prohibere.

Ex iure romano, institutum iuridicum consuetudinis in ius canonicum transiit, a quo paullatim quoquoversus perfectum est. Gratianus, fortasse constitutione Constantini Aug. permotus, non satis clare loquitur de vi abrogatoria consuetudinis: videtur enim vim huiusmodi contra legem generalem, saltem consuetudini particulari denegasse (2). Decretistae tamen, antecessoris sententiam ita interpretati sunt, ut docerent quamlibet consuetudinem quascumque leges mere ecclesiasticas abrogare posse. Denique Gregorius Pp. IX sententiam Decretistarum sua auctoritate firmavit et, quoad ius nostrum, radicitus abstulit omnem rationem dubitandi: *Licet etiam*, ait Pontifex, Constantinianae constitutioni insistens, *longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo debeat praeiudicium generare, nisi fuerit*

---

natura per legem principalem fuerit immutata. Et revera Schuppe (*Gewohnheitsrecht*, p. 188) censet, ius novum esse tunc constitutum. Tanti autem momenti visa est lex huiusmodi, ut capitulari decreto Pipini (L. long. Pip. 35) iterata sit his verbis: *Placuit nobis inserere, ubicumque lex erit, praecellere consuetudinem; et nulla consuetudo superponatur legi.* Postea, glossatorum tempore, cum a. 1158 in conventu Roncaliensi (cui et Azo interfuit cum « quatuor doctoribus » Studii Bononiensis) perpendenda esset vis statutorum Communitatum italicarum (quae quidem statuta, uti scriptae consuetudines habebantur), denuo exarsit disputatio. « Quatuor doctores » censebant, statuta Communitatum non sustineri idque ex eo, quod Constantini Aug. constitutio, omnem vim consuetudini ademerit: ademisse vero, quia Codex « repetitae praelectionis », in quo ea constitutio reperitur, post Institutiones et Digesta promulgatus esset. Quod quidem postremum verum est, et tamen quaestionem non solvit. Antequam enim statuatur, quidnam posterior lex in ius anterius agat, videndum est, quae sit legis posterioris genuina sententia, quae eius extensio quodque pondus. Haec autem plene intelligi non possunt, nisi ratio habeatur et potestatis legislatoris. *Cum* autem, ait Voet (*Comment. ad Pandect.* tom. 1 l. 1, tit. 3 n. 37), *in statu monarchico omnem legis condendae potestatem populus in Principem transtulerit, et naturali ratione eius sit solvere, qui potest ligare, ac eius sit nolle, qui potest velle* (l. 4. ff. *de reg. iuris*): *qui quaeso posset, invito legislatore, abrumpere legum frena, ipse legis ferendae exutus potestate?* Et ideo praeferenda videtur sententia Ferrini (*Pandette* n. 17), quae cum Azonis sententia substantialiter convenit: constitutionem, nempe, Constantinianam *respexisse consuetudines anteriores, quibus lex posterior omnem vim ademit.* Quod, aliis verbis, significat, valere quidem consuetudinem, sed quoad Principi placuerit; vel etiam clarius: omnem eius vim legalem a consensu Principis derivare.

(2) Dum enim antea (c. 3 D. IV) affirmaverat, *nonnullas leges* (legitime) *abrogatas esse moribus in contrarium utentium*, postea c. 4 D. XI hoc dictum adiecit: *Consuetudo* (tunc tantum) *inconcussa servanda est, cum nec sacris canonibus nec humanis legibus obviare monstratur.* Scilicet, quod antea dixerat esse factum, et quidem, ut patet ex contextu, legitime, postea fieri posse videtur negare.

rationabilis et sit legitime praescripta (c. 11, X *de consuetudine* I, II). Quibus verbis, in omnes futuras consuetudines ecclesiasticas, etiam legi derogatorias, semel pro semper, sub certis conditionibus, legaliter consentit. Quod ius et Codex noster amplexus est.

Ex adverso, dum nostri temporis ius internationale fere universum, necnon, ex parte, ius publicum diversarum Nationum consuetudinibus constat, Codices iuris civilis, si commerciales excipias, acriter consuetudini repugnant. Cum enim legislatores perspicerent, haud aptari institutum consuetudinis vario ac mutabili nostrorum hominum ingenio, et ceterum, Statuum finibus ad fines Nationum coarctatis, minus necessarium videri, omnem ei vim, sive legibus in posterum derogandi, sive utcumque obligandi, plerumque ademerunt. Ita Codex civilis Hispaniensis (Tit. praelimin. art. 5), Lusitanus (P. I tit. I art. 9), Cilenus (Tit. praelimin. § 1) ceterique fere omnes consuetudinem generatim repellunt (3). Codex autem Italicus (*Disposizioni sulla pubblicazione* etc. art. 5) ait: *Leges, nonnisi legibus posterioribus abrogantur, sive id legislator expresse edicat, sive propter incompatibilitatem, sive quia nova lex de integro ordinet legis prioris materiam.* Quam quidem legem, Cassationis tribunalia, tum romanum (7 febr. 1887) tum florentinum (16 mart. 1876), ita interpretati sunt: *Post promulgationem Codicis iuris civilis, non amplius potest ad consuetudines per varias provincias vigentes provocari, nisi eo pacto, quod Codex expressam earum mentionem faciat vel ad easdem utcumque se referat.*

Quaenam est igitur vis legitimae consuetudinis ecclesiasticae prae legibus Statuum civilium? Jam vidimus (cfr. Introd. ad Tit. I), praetermisso iure divino, ex quadruplici capite fieri posse, ut vis iuris canonici a Statibus nostrae aetatis recognoscatur: concordato, charta constitutionali, lege speciali, iure internationali. Proinde, cum consuetudo ecclesiastica, iuris canonici, cuius est pars, sortem sequatur, quae ibidem diximus de legibus ecclesiasticis in genere, etiam de consuetudine intelligenda sunt. Verum, Status non desunt, apud quos, etsi nullum concordatum extet aut lex specialis, et quamvis charta constitutionalis aut de iuribus Ecclesiae taceat, aut iis adversetur, tamen legitima consuetudo ecclesiastica recognosci omnino possit. Ita, tum Anglia eiusque coloniae toto orbe diffusae, tum Hungaria, magis quam legibus (o felices gentes!), consuetudinibus huc usque reguntur. Germania et ipsa haud parum defert non solum consuetudini generali, sed, ex implicita

---

(3) Codex Hispanicus haec habet: *Leges, nonnisi legibus posterioribus abrogantur: desuetudo, vero, usus, praxis iisdem contraria, eximere non possunt a lege servanda.* Lusitanus (l. c.) autem: *Legis obligationi nemo se subducere potest, neque ignorantiae specie, neque ad eius desuetudinem provocando.* Cilenus vero (l. c.): *Usus, ius nullum parit, iis casibus exceptis, quos lex taxative statuit.*

Codicis civilis voluntate, interdum etiam particulari (4). Quare, his in locis consuetudo, quaecumque illa sit et proinde canonica non exclusa, aut vim legis obtinere potest, aut saltem, iure quoque civili, apud iudicem produci.

His praelibatis, ad Codicem redeamus. Hoc igitur in titulo, in primis Legislator consuetudinis legalis ecclesiasticae fundamentum statuit; deinde determinat, quae communitates huius consuetudinis sint capaces; tertio conditiones enumerat, quibus extantibus suum consensum praebet futuris consuetudinibus contra vel praeter ius, ut vim legis obtinere possint; quarto agit de consuetudine secundum legem; quinto denique sancit, quibus modis consuetudo legalis vim legis amittat.

CAN. 25.

Consuetudo in Ecclesia vim legis a consensu competentis Superioris ecclesiastici unice obtinet.

---

(4) Ius civile Anglicum duobus ex fontibus fluit: ex iure communi (*common law*), idest consuetudine, et ex iure statutario (*statute law*), idest lege. *La « loi commune »*, ait Glasson (*Histoire de droit* etc., Préface, p. XIV), *est un être de raison; ce n'est pas une législation écrite ou qui soit susceptible d'être rédigée par écrit: elle n'existe nulle part et existe partout; elle réside dans tous les esprits et se manifeste dans tous les usages qui portent une empreinte nationale conforme à la loi commune. Par une conséquence de cette idée, les juges, dépositaires en quelque façon de la coscience publique, proclament cette loi commune, l'appliquent par leurs décisions, dans lesquelles seules il faut en puiser la connaissance ... Mais la « loi commune »*, subdit Amiaud (*Aperçu de l'état actuel de législations* etc., p. 128), *peut aussi être modérée par l'équité. C'est une partie du systeme de la jurisprudence anglaise qui, bien que non comprise dans aucun Code ou Recueil de lois, est fondée sur la raison pure et appliquée en vertu de certains principes définis.* Cum vero a. 1855 gubernium compilationem Codicis proposuisset, populus obstitit; cumque denuo a. 1867 id facere conaretur, rem perficere non potuit. — Ius autem commune germanicum, Codice civili a. 1896 promulgato, quoad eas tantum leges obliteratum est, quibus contradicebat (*Lex introduct.* 7 aug. 1896, art. 32). Et quamvis in Codice ne verbum quidem de consuetudine reperiatur, tamen consuetudines non excludit. Cum enim altera vice propositus fuisset Consilio foederali probandus, omnia, quae de consuetudine statuebantur, erepta sunt, et, quoad consuetudines generales, doctrinae ac iurisprudentiae relicta (cfr. Saleilles: *Notice sur le Code civil Allemand* dans l'*Annuaire de législation étrangère*, p. 142). Proinde secus ac per alios Codices iuris civilis, per Codicem germanicum consuetudines, saltem generales, sublatae non sunt. Praeterea, cum artic. 226 statuatur, *nullius iuris exercitium permitti, si alium finem habere non possit, nisi aliis damnum inferendi*, ad iudicem pertinet cognoscere an suo iure quis abutatur. Quare, *il est permis au juge de rechercher quelles sont, objectivement, les limites du droit subjectif. Il lui sera donc permis de considérer comme inefficace et sans valeur tout exercice d'un droit dépassant les limites que les mœurs, l'équité et l'intelligence des rapports sociaux mettent à son application* (ibid.).

Canon determinat consuetudinis legalis ecclesiasticae fundamentum ac peculiarem characterem.

1. *Consuetudo* ... Ex verbis, quae sequuntur, patet Legislatorem significare hic voluisse consuetudinem, quae in nudo facto consistit, idest (a *consuescere*) *in frequentia actuum similium communitatis* (S. Rota, 12 iul. 1913), et quae proinde nullam obligationem inducit: breviter, consuetudinem facti (cfr. comment. ad can. 5). Et quia indiscriminatim loquitur, vox *consuetudo* pro quavis facti consuetudine accipienda est, sive haec sit universalis sive particularis, sive iudicialis sive extraiudicialis, sive contra sive praeter ius, sive ordinaria sive centenaria aut immemorabilis (cfr. comment. ad can. 5) — *in Ecclesia* ... aliter enim res se habet extra Ecclesiam, ut supra (cfr. Introd. Tit.) demonstravimus. — *vim legis obtinet* ... Obtinere vim legis idem est ac omnem legis virtutem adipisci, et ideo omnes eius effectus producere posse, nempe et *iubendi, vetandi, permittendi, puniendi* (fr. 7 D. I, 3), et subditos sine limitatione temporis iuridico vinculo obstringendi, et ius anterius, cui contraria sit, abrogandi. — *a consensu* ... Consuetudo, prout a Legislatore hic accipitur, factum est, et facto consentire quis potest antequam fiat, dum fit et postquam perfectum fuerit, et quidem aut generali aut speciali consensu; isque consensus aut expressus esse potest aut tacitus aut praesumptus. Scilicet *generaliter* consentit, qui semel pro semper, cuiusdam generis factis consensum praebet priusquam perficiantur; *specialiter*, qui peculiari facto tantum. *Expresse* autem consentit, qui verbis, literis, nutibus suam voluntatem consentiendi directe manifestat; *tacite*, qui manifestat indirecte et implicite per factum; *praesumptive*, qui sciens prudens non obsistit, quominus factum perficiatur. Consensus vero expressus et tacitus in iure aequiparantur. Videamus igitur, quidnam per vocem *consensus*, Legislator hic intellexerit. Et prius excludendus est ante factum, idest ante consuetudinem inceptam, consensus specialis: si enim specialis consensus expresse (nam tacite aut praesumptive nec intelligitur) tunc daretur, iam non de consuetudine loqui fas esset, sed de indulto aut privilegio. Deinde et consensus praesumptus excludendus est, quoties probari non possit, Superiorem competentem, et consuetudinem novisse et libere non obstitisse. *Consensus enim praesumitur in illo, qui, liber a coactione metuve, facultate et opportunitate reclamandi non utitur* (S. Congr. Conc. 26 aug. 1905); praesertim vero praesumitur *in illo, qui, dum agitur de rebus sibi praeiudicialibus, tacet, quamvis possit facile se opponere* (eadem S. C. C. 20 aug. 1887). In summa, ante consuetudinem inceptam idoneus semper habetur solummodo consensus generalis, qui et legalis dicitur, cum per legem praebeatur, et semper est expressus; consuetudine vero iam incepta vel perfecta (scilicet in linea facti, ita ut nihil desit, nisi ratihabitio Superioris), consensus specialis sive expressus sive tacitus sive

praesumptus. — *competentis Superioris ecclesiastici*... Competentia, de qua hic agitur, ea est, per quam consuetudini facti vim legis tribui potest; et ideo is Superior competens censendus est, qui et potestate legifera fruitur et fruitur in eos, qui consuetudinem introducunt: qui enim legem ferre non potest, neque potest consuetudini vim legis tribuere; et qui in subditos non fert, in nullos fert. — *unice obtinet*... idest exclusive, ita ut in Ecclesia nulla alia via supersit, ad consuetudinem iuris (cfr. comment. ad can. 5) seu legitimam aut legalem constituendam.

2. Itaque ex hoc canone, nulla consuetudo cuiuscumque generis potest in Ecclesia vim legis obtinere, nisi probari possit adfuisse consensum legalem (generalem) aut personalem (specialem), expressum, tacitum aut etiam legitime praesumptum, Superioris ecclesiastici, qui potestate legifera fruatur et cui subditi sint, qui consuetudinem inducunt. Et quare? Quia obtinere vim legis, idem est ac id praestare posse, quod lex praestat, quamvis, in consuetudine, tum ratio tum materia, a subditis determinetur. Ideo Cuiacius *legem tacitam* consuetudinem appellat, idest tacite introductam, sine expressa promulgatione; praeterea, tum a romanis tum a nostris iurisconsultis, *ius non scriptum,* prout nempe consuetudo *scripto iuri*, idest legi, contraponitur; imo Legislator ipse declarat (can. 28), *consuetudinem legem inducere.* Non immerito igitur M. De Luca (*Praelect. iur. can.* Introd. gener. n. 85), consuetudinem absolute definit, *legem moribus populi constitutam.* Sed, cum res ita sit, iam patet abesse non posse voluntatem legislatoris, a qua unice pendet quidquid habet rationem legis (cfr. comment. ad can. 8 n. 2). Eius itaque consensus (nam alia via praeter consensum non est) necesse est accedat consuetudini, ut haec vim legis obtineat. Propterea, summopere aberrant tum Fagnanus, Pontius, alii, qui consensum legalem sufficere negaverunt, tum Schulte (*Die Lehre* etc. p. 209) et alii, qui, theoriam romanistarum scholae historicae (Savigny, Windscheid, Arndts etc.) in ius canonicum invehere nitentes, censuerunt non esse necessarium.

3. Est igitur consuetudo legitima factum subditorum, cui a legislatore competenti vis legis tributa est. Unde, ex eo quod *lex est*, hae consequentiae descendunt: — 1). Populum nihil posse, nisi consuetudinis materiam statuere atque rationem: in Ecclesia enim, potestate legifera omnino caret. Et proinde etiam, illi tantum Superiores ecclesiastici competentes habebuntur, ad consensum legalem consuetudini facti praebendum, quos in Introd. ad Tit. I. supra memoravimus, et quidem ordine hierarchico servato. Hinc, tum consuetudini universali, sive contra sine praeter ius commune, tum particulari contra legem a se latam in peculiarem communitatem, unus R. P. legaliter consentire potest. Cumque de facto R. P. nedum universalibus, sed et particularibus quibuslibet futuris consuetudinibus, per sequentes canones huius tituli

consentiat, dummodo vestitae sint omnibus a se statutis conditionibus, iam inutiliter quaeritur de consensu inferiorum legislatorum: hi enim, si eiusmodi conditiones adsint, consuetudini, ne suis quidem legibus contrariae, obsistere non possunt, cum neque possint iuri communi derogare. Tamen, cum Codex iuris canonici, *eorum traditus sit custodiae ac vigilantiae servandus* (Bened. Pp. XV, constit. *Providentissima*, 27 maii 1917), eorum etiam est de his conditionibus pro loco et circumstantiis, qua cuiusque iurisdictio patet, iudicare et iuxta suum iudicium vel silentio consuetudini favere, vel obsistendo, tanquam irrationabili, impedire quominus vim legis obtineat. *Verum, ut eiusmodi actus Superioris consuetudinem infringat, publicus esse debet* (S. C. C. in *Ipren.* 1740 discept. 2), nam et consuetudo publica est. *Tunc vero Superior palam repugnat, quando, in tribunali sedens, pro sua lege contra consuetudinem fert iudicium vel legis transgressores punit* (ibid). Haec de consuetudine facti. At, si vim legis iam obtinuerit, *nova profecto requiritur lex, qua consuetudo, quae legis naturam iam induit, explicite et nominatim a Principe revocetur* (ibid.). — 2). Deinde sequitur, actus, per quos consuetudo introducitur, publicos esse debere: publica enim, uti diximus, est consuetudo, eodem plane modo quo publica lex. Sed praeterea, quomodo poterunt huiusmodi actus, nisi publici fuerint, ab allegante consuetudinem probari? — 3). Tertio sequitur, consuetudinem agendi vel exigendi quae mere facultativa sunt, idest ad quae ex rerum natura obligari non possumus, velut agendi pium quoddam opus non praeceptum, aut exigendi actus quosdam liberalitatis, vim legis obtinere non posse: iussum enim est lex, non consilium aut monitio; est autem absurdum ea iuberi, quae natura sua iuberi non possunt. Hinc eiusmodi actus *non inducunt consuetudinem* (legitimam), *etiam quovis tempore continuati* (S. C. C. in *Nepesina* 8 aug. 1773, § *Ait*); *nam quoties extat originarius titulus facultativus, observantia, etsi saecularis, iugiter facultativa manet* (S. Rota, coram Olivatio, 17 iun. 1757, § 4), *nisi ex multiplicitate vel diuturnitate actuum, eliciatur praesumptio se obligandi* (S. C. C. in *Brictinorien.* 8 maii 1824, § *Parochi*), quod tunc praesertim fit, cum *coactio secuta est in casu omissionis aut aliae adsunt coniecturae* (S. C. C. in *Amerina*, 14 febr. 1846 § *Sane*) — 4). Quarto sequitur, quemadmodum lex, quae exceptionem a iure communi contineat (cfr. comment. ad can. 19 n. 1), ita *consuetudinem adversus ius commune procedentem esse stricte interpretandam et inde extendi non posse de loco ad locum, de persona ad personam* (S. Rota, in *Segusina*, 6 apr. 1909).

Sed consuetudo lex est, quae *moribus populi constituitur*, idest quae sine facto subditorum non introducitur. Ex eo igitur quod factum est subditorum, sequitur consuetudinem, nisi universalis sit aut (si particularis) notoria, nunquam praesumi, *imo habere contra se iuris praesumptionem* (S. C. C. in *Faventina*, 8 aug. 1772, § *Ceterum*). Hinc est,

quod *consuetudo dicitur a parte illam allegante ordinarie probari debere* (S. Rota, in *Segusina,* 12 iul. 1913). Et plena fit probatio *per testimonium authenticum Ordinariorum aut per statuta synodalia, in quibus consuetudo allegata commemoratur, aut per duos saltem testes fide dignos* (ibid.). Ad probandam vero consuetudinem immemorabilem, *requiritur, ut testes conformiter deponant, sese saltem per quadraginta annos, consuetudinem illam observatam vidisse, atque a maioribus audivisse semper fuisse observatam, quin ipsi testes vel maiores viderint aut audiverint, aliquid factum fuisse in contrarium* (ibid.).

Can. 26.

Communitas, quae legis ecclesiasticae saltem recipiendae capax est, potest consuetudinem inducere, quae vim legis obtineat.

Canon determinat quis capax habeatur consuetudinem legalem introducendi.

1. *Communitas* . . . Canon 99, personas ecclesiasticas distinguit in physicas et morales; eas vero in *collegiales* et non collegiales. Rursus can. 77 § 4, loquitur de *communitate seu coetu.* Denique can. 2274 § 1, de *communitate seu collegio* loquitur: eodemque modo can. 1653 § 3 ac 2285. Quid igitur coetus, collegium, persona collegialis? Quid communitas? Ni fallimur, *communitas* nomen est genericum, atque pluralitatem personarum physicarum significat, quovis vinculo (a *cum* et *unio*) colligatarum, veluti Ecclesiam universam, provinciam ecclesiasticam vel dioecesim, ratione territorii; religionem, confraternitatem, societatem commercialem, ratione voti vel pacti; familiam, filiorum procreandorum causa; mercatores, clericos, parochos, ratione status. Verum communitas, aut in personam moralem (*collegialem*) ecclesiasticam, a iure vel ab homine erecta est, aut minus: si erecta non est, *coetus* vocatur, atque ita Episcopi, parochi, clerici ad suum cuiusque coetum pertinere dicuntur; si vero in personam moralem erecta est, tum aut personis physicis constat, quarum, qua ad communitatem pertinent, idem est status personalis et *collegium* appellatur, veluti si agatur de S. R. E. Cardinalibus, de s. Rotae Auditoribus, de eiusdem Ordinis vel Congregationis religiosis aut eiusdem Capituli vel confraternitatis canonicis ac sodalibus; aut physicis personis constat, quarum, qua ad communitatem pertinent, status personalis idem non est, veluti si agatur de Ecclesia universa, aut provincia ecclesiastica aut dioecesi, et tunc *persona collegialis* simpliciter nuncupatur. Primo igitur verbo huius canonis excluditur persona individua, quae praescribere quidem potest, sed non introducere consuetudinem. Secus, actum de legibus! — *Quae legis capax est* . . . His verbis haud parum coarctatur notio communitatis quoad capacitatem consuetudinem introducendi. Scilicet communitas, ut possit

consuetudinem inducere, quae vim legis obtineat, oportet ante omnia capax esse legis. Legis autem capax non est communitas, cui aptari non possint essentialia legis elementa. In his, duo eminent: quod praeceptum sit commune, quodque perpetuum natura sua. Prout autem perpetuum est, aptari non potest nisi communitati, quae et ipsa sit natura sua perpetua. Ita perpetua est natura sua persona moralis (can. 102 § 1) aut personarum physicarum coetus, non autem familia. — *ecclesiasticae...* Scilicet non legis tantum, sed legis ecclesiasticae capax esse debet communitas, de qua loquitur canon; et ideo adhuc magis coarctatur notio communitatis, ad consuetudinem legalem idoneae. Nam legis ecclesiasticae capax non est communitas, etsi gaudeat personalitate morali, cuius finis prorsus est ab Ecclesiae fine alienus, velut societas commercialis, qua talis, aut mercatorum coetus. — *saltem recipiendae...* idest, non requiritur communitas, quae possit legem in seipsam ferre, ut ex. c. religio exempta, vel in alios, veluti Romanae Curiae Congregationes: sed tantummodo, quae legem recipere possit. Quod enim consuetudo facti vim legis obtineat, non a communitate procedit, sed a legislatore: est legislator, qui suo consensu consuetudini confert quidquid haec habet virtutis legalis. Ideo non legem ferendi, sed recipiendi tantum capacitas in communitate requiritur.

2. Et ratio iugiter, eadem est: consuetudo est lex, moribus populi constituta: unde quaedam requiruntur a communitate, ex eo quod lex inducitur, quaedam ex eo, quod inducitur moribus populi, quedam ex eo, quod inducitur a communitate ipsa. — 1). Ex eo autem, quod consuetudo legalis est vera lex, requiruntur in communitate ea omnia, quae lex proprie dicta requirit. Idcirco communitates, quae legis ecclesiasticae non sunt capaces, neque consuetudinis capaces sunt. Et sicut lex non requirit communitatem capacem legis ferendae, sed recipiendae tantum, ita et consuetudo. — 2). Ex eo autem, quod moribus populi inducitur, requiruntur actus et uniformes et frequentes: nonnisi enim hoc pacto, de more loqui fas est. Et primo frequentes: *tot* nempe *actus requiruntur, quot iuxta arbitrium prudentis iudicis sufficiunt ad colligendum populi consensum* (S. C. C. in *Ipren.* 1740, discept. 2), *unde ostendatur legem non amplius utilem multitudini esse* (ibid.) aut non esse sufficientem. *Frequentia autem actuum a iure praescripta, metienda est facilitate qua casus, a quibus actuum frequentia pendet, dari possunt* (S. C. C. in *Eugubina*, 26 iun. 1847 § *Perperam*); et *sufficit probatio consuetudinis, quoad actus magis frequentes, ut aptetur etiam casibus, qui raro admodum contingunt* (S. Rota, in *Leodien.* 8 maii 1752). *Unde duo vel tres actus uniformes sufficere quandoque possunt, ad inducendam consuetudinem* (S. C. C. in *Nepesina*, 6 dec. 1845 § *Porro*). — Oportet itaque eosdem actus etiam esse uniformes: *consuetudo* enim, *quae exhibet actus difformes, neque univocos reiicienda est* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 331,

n. 13 part. 16), ita ut *ex unico tantum actu contrario, destruatur ac radicitus eversa remaneat* (S. Rota, in *Urbevetana* coram Vicecomite, 4 mart. 1752 § II) — 3). Tandem ex eo, quod a communitate consuetudo introduci debet, in primis oportet introducatur ab universa, vel, quod in idem redit, *a maiore parte communitatis* (S. Rota, in *Segusina*, 12 iul. 1913). Ut enim *lex aliqua extinguatur* (vel nova introducatur), *abunde est, si his, qui legem* (veterem) *frangunt* (vel novam inducunt), *universus populus consentiat* (S. C. C. in *Ipren.* 1240): et ceterum *refertur ad universos quod publice fit per maiorem partem* (fr. 160 D. L. 17). Et cum communitas, in tantum consuetudinem inducere possit, in quantum legis est capax: qui, ex communitate, legis vel talis legis, capaces non sunt, neque possunt legem, vel talem legem, introducere aut abrogare per consuetudinem, velut laici aut mulieres quoad leges, quae praesupponunt statum clericalem aut virilem sexum, infantes et amentes quoad omnes leges.

Deinde consuetudo introducatur oportet modo etiam idoneo naturae singulorum. Quemadmodum autem actus dicuntur esse communitatis, cum per maioritatem fiunt, ita singulorum esse dicuntur, cum fiunt libere et cum voluntate sese obligandi vel liberandi. Liberi vero sunt actus, qui non vi metusve causa fiunt, non ignorantia aut errore. Haec tamen non aliter accipere debemus, atque consuetudinis natura patiatur. Revera adversus communitatem consuetudinem introducentem, vis physica ne suspicari quidem potest. Metus, contra, si gravis sit et iniuste incussus, sicut ceteros actus iuridicos rescindibiles facit (can. 103 § 2), ita et consuetudinem infirmat, adeo, ut a iudice possit non recognosci. Demum errorem et ignoratiam non seiunctim, sed una cum voluntate sese obligandi vel liberandi considerari debent. Tres vero casus contingere possunt: — a). Cum consuetudo introducitur contra legem, quam exstare constat (et de facto exstat), vel ad legem supplendam, quam constat non exstare (et de facto non exstat), tunc et cognitio adest et voluntas sese liberandi vel obligandi: et haec est species normalis consuetudinis introducendae contra vel praeter ius. — b). Cum autem consuetudo introducitur contra legem, quae non extare putatur (dum de facto exstat), et cum voluntate non introducendi, si exstare sciretur: vel ad legem firmandam, quae putatur exstare (dum de facto non exstat), et cum voluntate non introducendi, si sciretur non exstare: tunc neque cognitio adest, neque voluntas sese liberandi aut obligandi, et consuetudo non introducitur. — c). Cum denique consuetudo introducitur contra legem, quae quidem non exstare putatur (dum de facto extat), sed cum voluntate introducendi, etiamsi extare sciretur; vel ad legem firmandam, quae quidem putatur exstare (dum de factn non extat), sed cum voluntate introducendi, etiamsi sciretur non exstare: quid tunc dicendum, cum et voluntas quidem

adsit et cognitio, sed utraque subobscura? Consuetudo contra ius tunc introduci videtur, consuetudo vero praeter ius non introduci (cfr. comment. ad can. 27 et 28). Proinde, etiam *bona fides nullum occupat locum, cum de consuetudine contra legem agatur, quatenus videlicet culpabiliter lex aut non recipitur aut recepta violatur, vel quatenus fortassis occurrat aliqua excusatio a legis observantia:* non enim *idcirco legem non abrogat, quod mala fide inceperit et perseveret* (S. C. C. in *Ipren.* 1740 discept. I).

Can. 27.

§ 1. *Iuri divino, sive naturali sive positivo, nulla consuetudo potest aliquatenus derogare; sed neque iuri ecclesiastico praeiudicium affert, nisi fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta; contra legem vero ecclesiasticam quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo centenaria aut immemorabilis.*

§ 2. *Consuetudo quae in iure expresse reprobatur non est rationabilis.*

Hoc canone Legislator edicit, quo pacto legaliter consentiat in futuras consuetudines contra ius.

1. *Iuri divino, sive naturali sive positivo...* iuri scilicet, cuius Deus est auctor, quodque vel humanae naturae inditum est (*naturale*), vel extra naturam humanam, divinitus promulgatum (*positivum*) — *aliquatenus derogare...* et ideo multo minus idem ius abrogare. *Subrogare* vero non est consuetudinis contra, sed praeter ius: huius enim proprium est, iuri aliquid adiicere. Sed neque bene diceretur *obrogare*, idest aliquid mutare ex priore iure: nam ius tunc mutatur, cum aliquid ei tollitur vel adiicitur; atqui, si primum, iam legi derogaretur; si alterum, non amplius esset consuetudo contra ius, de qua hic agitur. Cum autem dicitur *nulla consuetudo... aliquatenus,* idem est ac si diceretur *ulla consuetudo... nullatenus*: scilicet nulla prorsus humana consuetudo esse potest, quae, etiam quoad partem minimam, possit iuri divino derogare. — *nisi...* videlicet, nisi eas omnes conditiones, quas legislator suo consensui apposuit, legitime impleantur — *iuri ecclesiastico...* videlicet universo, quod quidem mere ecclesiasticum sit, et ideo tum legibus, tum consuetudinibus antea introductis: *omnis enim consuetudo contra legem, quamcumque ab homine conditam legem abrogat* (S. C. C. in *Ipren.* 1740, discept. II). — *praeiudicium affert...* Iuri afferre praeiudicium, efficere significat, ut ius vel ex toto vel ex parte vim obligandi amittat. Et quia duobus modis, saltem per consuetudinem contra ius, id contingere potest, nempe vel ex eo quod lex promulgata non recipitur, vel ex eo quod recepta non servatur, ideo Legislator non scripsit *derogat*, quod mancum esset, sed *praeiudicium affert*, quo verbo uterque modus con-

tinetur. — *nisi fuerit rationabilis* . . . Ius nostrum tum verbum tum notionem rationabilitatis consuetudinis ex iure romano sumpsisse videtur (5). Est autem rationabile, quod rationi est consentaneum. At quaenam consuetudo rationabilis esse dicetur? *Quae bona atque opportuna* ait Savigny (*System* etc. l. I c. 3 § 55), vel accuratius: *quae non disrumpat nervos ecclesiasticae disciplinae, vel incommodis intollerandis det locum, vel cultui Deo tribuendo aut bono publico adversetur* (S. C. C. 2 apr. 1898). Et haec est conditio, a qua legislator dispensare non potest. — *et legitime praescripta* . . . Qua significatione (6) accipitur hic a Legislatore praescriptio? Est enim natura sua *modus acquirendi* (nempe iura) *et se liberandi* (nempe ab actionibus): ita can. 1508. Innititur autem praescriptio possessioni, ac bonam fidem requirit atque tempus a iure taxative statutum (cfr. can. 1512). Nihil harum rerum in consuetudine, tempore excepto. Nam, *si res sit de tollendo iure uni et acquirendo alteri, proprie dicitur praescriptio, non consuetudo* S. C. C. in *Verulana*, 26 febr. 1853 § *Sed).* Et *si consuetudine centenaria* (aut immemorabili), uti *postea* videbimus, *omnia iura praescribuntur* (S. C. C. in *Perusina*, 24 nov. 1827), id fit, quia *consuetudo centenaria* (aut immemorabilis), *praesumptionem inducit iuris et de iure cuiuscumque tituli utilioris possessori* (S. Rota, decis. 1069 coram Molines, n. 3), et proinde etiam *praesumit transactionem, remiudicatam, privilegium* (S. Rota, in *Romana*, coram E.mo Caesarei, 13 mart. 1789 § 6), imo *indultum apostolicum* (S. Rota, decis. 739 coram Caprara, n. 3 et 6); ideoque tunc, non qua consuetudo operatur, sed qua praescriptio. Ad rem Innocentius Pp. IV, qui, ut consuetudo sit legitime praescripta, *nihil requirit aliud, quam lapsum quadraginta annorum.* (S. C. C. in *Ipren.* 17 40). *Quis rogo*, ait S. Congregatio Concilii, *melius intellexerit sensum vocis « praescriptae » in ea Decretali, quam dictus Innocentius, in eo dignitatis gradu* (erat tunc presbyter Cardinalis) *Gregorio, Decretalis auctori, per idem tempus assistens? Ho-*

---

(5) Ait enim Celsus (fr. 39 D I, 3): *Quod non ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est*, etc. Postea Constantinus Aug. (l. 2 Cod. *quae sit longa consuetudo* VIII, 52): *Consuetudinis non vilis auctoritas est: verum, non usque adeo sui valitura momento, ut rationem vincat*, etc. Demum Iustinianus Aug., (ibid.): *Nam et consuetudo praecedens et ratio, quae consuetudinem suasit, custodienda est.* Inde Gregorius Pp. IX (c. 11, X *de consuetudine* I, 4): *Licet consuetudinis non sit vilis auctoritas, non tamen est usque adeo valitura, ut vel iuri positivo debeat praeiudicium generare, nisi fuerit rationabilis*, etc.

(6) Vetustissimus videtur huiusmodi usus loquendi. Est enim in *Corpore inscript. latin.* (III n. 781 p. 147) inscriptio quaedam, in qua haec continentur: *Quamvis Tyranorum civitas* (erat gens, quae regiones circa fiumen Tyrae, nunc Dniester, incolebat) *originem dati beneficii non ostendat, nec facile, quae per errorem aut licentiam usurpata sunt, praescriptione temporis confirmentur*, etc. Est epistola cuiusdam L. Ovinii Tertulli, Severi et Caracallae Aug. legati in Moesiam inferiorem, data a. 201.

stiensis vero (Card. Henricus de Segusa, Innocentii IV coaevus) *evidenter demonstrat praescriptionem consuetudinis longissime discrepare a praescriptione stricte et proprie dicta, qualis est ubi agitur de praescribendo rei dominio* (ibid). Proinde, *legitime praescripta* idem est, ac per statutum tempus legitime firmata. — *legitime...* Can. 1446 ita loquitur:... *beneficium ex legitima praescriptione obtinet.* Item can. 1470:... *si contra iuspatronatus legitime praescriptum fuerit;* can. 63:... *per legitimam consuetudinem;* can. 1116: *legitima efficitur proles...* et alibi passim. Ex quibus patet, illud a Legislatore legitimum haberi, quod iuxta praescriptum legis peractum est, iis omnibus servatis, quae a lege iubentur. Ea igitur consuetudo legitime praescripta dicitur, quae et omnes conditiones, a legislatore suo legali consensui appositas, implevit (nempe quod a communitate talis consuetudinis capaci, quod a maioritate, quod a personis idoneis, quod ea libertate, scientia et animo quae sufficere possint, introducta sit) et proinde vim legis adepta est ex eodem consensu legislatoris. Et, si qua istarum conditionum defuerit, non currit praescriptio. — *per annos...* idest, labentibus annis, per annorum durationem: scilicet, ut nuper innuimus, toto tempore praescriptionis extare debent conditiones recensitae, quia tunc solum consuetudo praescribere incipit, cum incipit esse legitima in linea facti. — *quadraginta...* His verbis, Legislator authentice solvit quaestionem diutissime agitatam. Cum enim ius romanum de *longa, inveterata, diuturna* vel *per annos plurimos observata* consuetudine loqueretur (fr. 32, 33 et 35 D. I, 3), inde canonistis statuendum erat, quidnam his vocibus significaretur, quotque esse anni deberent, ut *plurimi* dici possent. Quod cum nullibi authentice definitum inveniretur, doctores nostri in varias ierunt sententias, quarum extremas sic refert Benedictus Pp. XIV (*De Synodo dioeces.* l. XIII, cap. 5 n. 4): *Cum vero agitur de lege, populi moribus firmata, ad illam contraria consuetudine abrogandam, communiter exigunt doctores quadraginta annorum spatium: verum plerique ex recentioribus non improbabiliter opinantur, satis esse consuetudinem decem annorum.* Canon priorem sententiam, ex doctrinali, authenticam fecit. Tamen si, consuetudine incepta et nondum praescripta, consensus specialis, expressus aut tacitus, legislatoris interveniat, tunc, ut patet, amplius praescriptione ordinaria opus non est, et statim consuetudo vim legis acquirit; legislator enim ab hac conditione tacite dispensasse intelligitur. — *continuos...* Continuum in iure dicitur tempus, *quod nullam interruptionem patitur, ita ut etiam currat tum ignoranti tum agere non valenti* (cfr. comment. ad can. 35 n. 2): scilicet, *consuetudo continua esse debet; nam consuetudo non perennis, sed interrupta, omnem vim amittit* (S. Rota, coram Zaratto, decis. 21 n. 15): *idcirco*, ut supra vidimus, *ex uno tantum actu contrario destruitur ac radicitus eversa remanet* (S. Rota, l. c.) — *et completos...* Completum vero habetur tempus quadraginta anno-

rum, cum nihil deest, ne particula quidem. Et ideo *antequam tempus determinatum elapsum sit, consensus legalis* (uti consuetudo vim legis obtineat) *perperam supponitur* (S. Rota, in *Segusina*, 12 iulii 1913). De scientia autem legis atque de animo sese liberandi nihil in canone. Cur? Estne et huc referendum brocardicon illud: *Legislator ubi voluit dixit, ubi noluit tacuit?* Hoc certum est: Legislator videri, quaestionem doctrinae ac iurisprudentiae reliquisse (cfr. comment. ad can. 26 n. 2) — *contra legem vero* ... Vocem *lex* adhibet Legislator, non *ius*, quam supra adhibuit, nam clausulas contineri, legis proprium est. — *quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem* ... qualis est ex. c. « exclusa in futurum qualibet consuetudine contraria ». Ita Pius Pp. IV (constit. *Benedictus Deus*, 26 ian. 1564, et *In principis Apostolorum*, 11 febr. 1565) consuetudines contra decreta Concilii Tridentini prohibuit ac irritavit. Cum eas tamen irrationabiles non declarasset, plures, contra ea decreta, postmodum introductae sunt consuetudines, et quoad Synodos diocesanas, et quoad iudices synodales, et praesertim quoad collationes beneficiorum parochialium; quae, *si immemorabiles, saepe S. Rota admisit, imo ipsa S. Congregatio Concilii* (S. C. C. 17 aug. 1901). Hinc *quibusvis verbis*, ait Sebastianelli (*Praelectiones* vol. 1 n. 62), *etiam effraenatis, hae clausulae concipiantur, per se consuetudinem in futurum introducendam non impediunt. — centenaria aut immemorabilis* ... De horum verborum significatione, iam diximus (cfr. comment. ad can. 5): restat, ut pauca adiiciamus de vi huiusmodi consuetudinum, quae, *quoad vim tituli et privilegii ambo conveniunt* (S. C. C. in *Tiburtina*, 31 iul. 1852 § *Etiamsi*). Siquidem, haec vis maxima est: utraque enim, uti supra vidimus, praesumptionem inducit cuiuscumque tituli utilioris possessori, ideoque *cuiusvis tituli defectum supplet* (S. Rota, in *Ferentina Silvarum*, coram de Cursis, 11 maii 1825). *Et cum constet de huiusmodi consuetudine, necesse non est alium titulum proferre* (S. Rota, decis. n. 1 coram Falconerio); *lapsus enim centum et ultra annorum, quamcumque iuris repugnantiam vincit* (S. Rota, in *Recent.* decis 155 n. 10 part. 16), *dummodo tamen praescribens capax sit illud* (nempe ius) *possidendi* (S. C. C. in *Triburtina* 31 iul. 1852 § *Aliunde*). Revera, *non omnia, quae iuris tantum ecclesiastici sunt, praescribi possunt, neque ea apostolica privilegia praesumi, quae cum postulantur negari omnino consueverunt, ne praesumptio plus habeat roboris et momenti quam veritas* (Benedictus Pp. XIV, ep. *Declarasti*, 16 mart 1749).

Consuetudo, quae in iure expresse reprobatur ... idest, quae in Codice vel, postmodum, in Concilio oecumenico, plenario, provinciali, in Synodo dioecesana vel extra Sinodum, quocumque decreto, etiam ad hunc tantum finem editum, plectatur a legislatore consueta vel aequipollenti clausula reprobatoria. Ita in Codice multae passim reprobatae sunt consuetudines (cfr. Indicem analytico-alphab., verbum *consuetudo*). —

non est rationabilis ... Et ideo consuetudinem expresse reprobare, idem est ac irrationabilem declarare; et sive id fiat ob materiam consuetudinis, sive ob loci circumstantias, reprobatio afficit tum consuetudines futuras, tum praeteritas, sive hae legis vim fortasse adeptae fuerint, sive minus (cfr. comment ad can. 5).

2. Huius quoque canonis principia constitutiva a natura consuetudinis repetenda sunt. Cum enim legitima consuetudo contra ius, videlicet, generatim, contra legem quae durior evaserit aut minus opportuna, sit et ipsa tacita lex, inde descendit: 1). iuri divino derogare non posse, posse autem iuri mere ecclesiastico: quandoquidem, lex inferioris legislatoris nihil potest in superiorem legem, et aequalem tantum vel inferiorem, quae anterior sit, abrogare potest; 2). descendit, consuetudinem rationabilem esse debere: est enim lex, ut ait D. Thomas, *ordinatio rationis*, et proinde, ut habet Voet (*Comment. ad Pandectas*, t. I tit. III, 5), *iustam oportet esse ac rationalem* (cfr. Introduct. ad Tit. I). Et ita consuetudo; cui si rationabilitas defecerit, essentiali elemento caret, et neque vim legis obtinere potest, neque proinde anteriorem legem abrogare. Nec mirum videatur, consuetudinem contra legem esse posse rationabilem, dum et ipsa lex, que abrogatur, rationabilis esse debuerit; nam, ex mutatis circumstantiis, lex rationabilis esse desiit, dum consuetudo contraria rationabilis esse incepit, nempe rationabilitas ex lege in consuetudinem transiit: aliter, neque lex deficeret, neque invalesceret consuetudo. Eademque ratione nec mirari debemus, consuetudinem centenariam aut immemorabilem, derogare posse legi consuetudinem prohibenti, imo irritanti: sicut enim perpetuitas legis (quae semper eius rationabilitati innititur) non impedit, quominus abrogetur per posteriorem legem, ita et quaelibet clausula legi adiecta, impedire non potest, quominus tollatur per legitimam consuetudinem contrariam. — Praeterea, cum consuetudo moribus populi constituatur, inde descendit: 1). diuturnum tempus a Legislatore recte requiri, ut aperte pateat voluntatem, non velleitatem, populo inesse consuetudinis introducendae, utque haec facilius, si minus opportuna, intercipi possit per actum legislatoris. Sequitur 2). legitime eam praescriptam esse debere, idest omnibus servatis, quae a lege iubentur, et quae antea (cfr. comment. ad can. 26 n. 2) exposuimus. Nam, cum mores natura sua incerti sint, ut fieri possint materia consuetudinis legalis, ad eas normas, quae, sive explicite sive implicite, a legislatore hac de re statuuntur, componi debent.

Haec igitur requiruntur, ut consuetudo contra ius vim legis obtineat et derogare possit iuri mere ecclesiastico. Nobis tamen praetereundum non est, canonem 5, quo omnes consuetudines, non centenariae aut immemorabiles et Codici contrariae, facto ipso promulgationis, qualibet vi legali expoliantur, aperte demonstrare, rationabiles non facile haberi consuetudines ordinarias contra ius Ecclesiae commune.

Can. 28

Consuetudo praeter legem, quae scienter a communitate cum animo se obligandi servata sit, legem inducit, si pariter fuerit rationabilis et legitime per annos quadraginta continuos et completos praescripta.

Conditiones hic recensentur, quibus extantibus, Legislator consentit in consuetudinem praeter legem.

Consuetudo praeter legem ... Hactenus de consuetudine contra ius, nunc de ea, quae legi neque ex toto neque ex parte contraria est, sed praeter legem tota consistit, et cui aptari potest, definitio Gratiani (c. 5 D. III), qua dicitur *ius quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cum deficit lex.* Unde adversus huiusmodi consuetudinem, secus atque contingit de consuetudine contra ius, clausula prohibitoria legi nunquam adiicitur; etenim, dum ne contra legem faciat, semper quis suo arbitrio agere permittitur: consuetudo autem praeter ius, legi non officit, sed tantum deficientem supplet. — *quae scienter ... servata sit* ... In primis, ea consuetudo scienter servatur, quae non servatur per errorem aut ignorantiam legis. Nam *exploratum in iure est, consuetudinem, quae fundatur in ignorantia vel errore, non posse vim legis acquirere nec proinde obligare* (S. C. C. in *Aesina*, 28 iul. 1859 § *Nec*): *consuetudo enim ex errore promanans nullius est roboris, quia errantis nullus est consensus, et sine consensu nulla invehi potest consuetudo contra vel praeter ius* (ead. in *Verulana*, 20 dec. 1823 § *Negant*). Et ideo certum est legitimam, ex hoc capite, eam esse consuetudinem praeter legem, quam communitas servat sciens prudens, id est non ignorans de ea materia legem deesse, utque huius deficientiam suppleat. Item certum est, eam praeter ius consuetudinem esse illegitimam, quam communitas, nulla alia ratione incepit et servat, nisi ad deducendam in usum legem quandam, quam latam fuisse putat (dum revera nunquam lata fuit), atque ea voluntate, ut, si non latam esse sciret, minime servaret. Sed quid dicendum de consuetudine illa, quae quidem propter legem putativam incepit et servatur, at ea voluntate ut, etiamsi compertum fuerit legem latam non esse, nihilominus servaretur? Et sane, *potest*, ait Wernz (*Ius Decretalium* t. I n. 190 [71]), *in fidelibus existere intentio, qua vellent legem quandam existere, etiamsi scirent illam non ligare. Quare poterit introduci in casu consuetudo praeter ius.* Tamen, ut supra diximus (cfr. comment. ad can. 26 n. 2), videtur nobis, post promulgationem Codicis, legitima consuetudo praeter ius ita introduci non posse. Nam, cur Legislator cavet, hanc consuetudinem *scienter* servari oportere, dum, in consuetudine contra ius, nonnisi rationabilitatem atque decursum temporis expresse requirit? Profecto, si verba aliquid signi-

ficant, inter utramque consuetudinem, hac in re, discrimen intercedere debet: et hoc nobis videtur esse discrimen, quod subobscura cognitio atque voluntas, non sufficiant ad consuetudinem praeter ius inducendam. — *cum animo se obligandi* ... idest, cum voluntate non quemcumque usum, sed obligatorium introducendi. Hinc *consuetudo, quae est ex devotione, potius quam ex vera obligatione* (nempe ex animo sese obligandi) *inducta, accenseri debet inter actus mere facultativos* (S. C. C. 29 ianuar. 1898), *et in facultativis* (cfr. comment. ad can. 25 n. 3) *consuetudo non inducitur* (ead. 2 apr. 1898). — *per annos quadraginta* ... Etiam quoad consuetudinem praeter legem, variae erant opiniones de diuturnitate temporis. Dum enim ex. c. Sebastianelli (*Praelect.* vol. 1 n. 64) putabat *in consuetudine praeter legem decennium sufficere,* et S. Rota eandem sententiam sequebatur (in *Recentior.* decis. 375 § 8 part. 2), itemque S. Congregatio Concilii (in *Narnien.* 15 maii 1790 § *Nulla*), Wernz, illud tempus videbatur *protrahendum ad viginti vel quadraginta annos* (*Ius Decret.* t. I n. 190, IV). Quod quidem a Legislatore hic semel pro semper factum est.

2. Plus igitur requirit Legislator noster in consuetudine praeter ius, quam in consuetudine iuri contraria. Et merito, nam ibi agebatur de iure abrogando, hic de constituendo, et *promptiora sunt iura ad solvendum quam ad ligandum.* Cum igitur consuetudo praeter ius, quodammodo magis obtineat rationem legis, inde est quod taxative requiruntur et scientia et animus sese obligandi. Scilicet, inest consuetudini huic, character peculiaris: per eam, cum legislatore subditi adlaborant legibus condendis.

Can. 29

Consuetudo est optima legum interpres.

Ex hoc canone habemus, quae sit vis consuetudinis secundum legem, quae et observantia interpretativa vocatur.

1. *Legum interpres* ... Quid sit leges interpretari, iam diximus (cfr. comment. ad can. 17 n. 1). Hic itaque Legislator agit de ea consuetudine, cuius est legem interpretari, videlicet de consuetudine secundum legem, *quae,* nempe, *legem iam praeexistentem supponit, eamque vel deducit in usum vel, si ambigua est, interpretatur* (S. C. C. 20 dec. 1902). Quare, haec consuetudo, nonnisi nomine, ab interpretatione usuali distinguitur (cfr. comment. ad can. 17 n. 1), et tantum patet, quantum sinunt normae generales interpretationis: quod, si harum limites egrediatur, iam amplius secundum legem non est, et consuetudo evadit praeter vel contra legem. Proinde, consuetudo secundum legem in tantum subsistit, in quantum intra eius limites continetur, dum, contra, consuetudo praeter vel contra legem, in quantum legem excedit. —

optima... idest cunctis interpretationibus praeferenda, *ei etiam, quae innititur verborum proprietati* (S. C. C. in *Camerinen.* 23 iun. 1821), videlicet, *etiamsi verborum proprietas aliud importaret* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 199, n. 3 part. 10); quin imo, *tanta est eius auctoritas, ut diversimode ab ea leges interpretari non liceat* (S. C. C. in *Patavina*, 2 mart. 1844 § *Adducit*).

2. Ait Gratianus: *Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur* (c. 3 D. IV). Quae moribus approbatio, per quam promulgatae leges firmantur, non est nisi consuetudo secundum legem, de qua hic agitur. Haec igitur tota consistit in observantia legis, et ideo non est lex, neve quidquam cum lege habet commune. Hinc est, quod Legislator ad eam introducendam nullam peculiarem conditionem statuit: quare, eiusmodi consuetudo *non requirit praescriptionem nec longi temporis spatium, solumque exigit, ut probetur, id aliquando gestum fuisse* (S. Rota, decis. 8 n. 5 coram Cavalerio); *neque* proinde requirit *continuationem et actuum uniformitatem* (ibid. decis. 966 n. 20 coram Molines), atque *ad eam inducendam unicus sufficit actus* (ibid. in *Recentior.* decis. 211 n. 4 part. 2 et alibi): haec enim omnia habet a lege et in lege, quam in usum deducit. Et ex hac arctissima cum lege necessitudine, ea etiam manat vis interpretativa, quam maximam esse diximus. Nam, aptius legem interpretari nemo potest, quam ea consuetudo, cuius est latam legem moribus exprimere, et quidem omnium circumstantiarum, quae in legibus interpretandis maximi momenti sunt, habita ratione. Proinde, haud immerito ad hanc consuetudinem recurritur, quoties interpretandae sunt humanae voluntatis dispositiones: *exploratum* enim *est observantia interpretativa declarari quid volitum, quid datum fuerit* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 226, n. 4 part. 2), uti ex. c. *dubiae et subobscurae defunctorum voluntates* (S. Rota, decis. 279 n. 12 coram Royas et alibi): et *qualis observantia est, talis praesumi debet fundatio* (S. C. C. in *Sancti Severini*, 2 aug. 1856 § *Idque.*

CAN. 30.

Firmo praescripto can. 5, consuetudo contra legem vel praeter legem per contrariam consuetudinem aut legem revocatur; sed, nisi expressam de iisdem mentionem fecerit, lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares.

1. Hoc canone statuitur, quibus modis consuetudo vim legis amittat.

1. *Firmo praescripto...* Praescriptum firmari quid sit, iam diximus (cfr. comment. ad can. 22 n. 1). Firmatur autem hic praescriptum canonis 5, propter leges in Codice contentas, quae, contra huius canonis 30 dispositiones, quamvis generales sint, et consuetudinum revocandarum (tum centenariarum et immemorabilium, tum particularium) nul-

lam mentionem faciant: tamen, vi canonis 5, omnes contrarias consuetudines etiam particulares, expresse non reservatas, revocant quidem, si ordinariae sint, remittunt Ordinariorum iudicio, si centenariae aut immemorabiles. — *consuetudo contra vel praeter legem...* De consuetudine secundum legem canon non loquitur; non enim haec vim legis amittere potest, cum ex se neque habeat. Consuetudo igitur secundum legem, quemadmodum nascitur lege recepta, extinguitur, qua talis, lege revocata. — *per contrariam consuetudinem vel legem...* idest, tum per legem contrariam postea latam, tum per consuetudinem contrariam (in qua et desuetudo continetur) postea legitime introductam. — *revocatur...* idest abrogatur aut ei derogatur vel a legislatore per legem, vel a legislatore simul et a subditis per consuetudinem legitimam. — *expressam de iisdem mentionem...* Expressa mentio consuetudinis particularis aut centenariae et immemorabilis tunc fit, cum non implicite (idest ex eo, quod lex contraria est), sed explicite eas legislator consuetudines designat saltem per generalem clausulam: *quacumque consuetudine non obstante*, aut adiectis verbis: *etiam centenaria aut immemorabili;* vel per aliam clausulam aequipollentem. — *lex non revocat consuetudines centenarias aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares...* Proinde tres casus contingere possunt: vel lex nullam clausulam generalem continet, et tunc, si lex sit generalis, consuetudines universales tantum revocat, si autem particularis, particulares tantum, quae ordinariae sint et legi contrariae; vel lex clausulam generalem continet: *quacumque consuetudine contraria non obstante* aut aliam aequipollentem, et tunc, si lex generalis sit, omnes, quibus contradicit, consuetudines ordinarias revocat, etiam particulares; vel denique lex continet clausulam generalem supra allatam, sed adiectis verbis: *etiam centenaria aut immemorabili*, et tunc, si generalis sit lex, omnes prorsus contrarias consuetudines revocat, etiam centenarias aut immemorabiles. Quod, si lex, non per clausulam generalem, sed speciatim aliquam peculiarem consuetudinem intendat, tenori verborum standum est. Diximus legem generalem cum clausula: *quacumque consuetudine non obstante*, non revocare consuetudines centenarias aut immemorabiles. Neque mirum: quamvis enim, per se, haec locutio latissime pateat et sua significatione omnem consuetudinem continere videatur, tamen, quia consuetudini centenariae aut immemorabili optimus quisque titulus (et ideo etiam apostolicum privilegium) suffragari praesumitur, non censetur comprehendi, nisi ex tenore legis aliud appareat.

2. Quum, uti saepius animadvertimus, legitima consuetudo instar legis censeatur et operetur, eodem quoque modo cessare oportet. Proinde deficere potest voluntate expressa, tacita, praesumpta legislatoris: expressa quidem, cum per legem expresse abrogatur vel ei derogatur, sive clausula generali sive speciatim; tacita, cum revocatur per legem contrariam,

sine consuetudinis expressa mentione, vel per contrariam consuetudinem aut, quod in idem recidit, per desuetudinem; praesumpta denique, cum finis deficit, et ideo, tanquam inutilis, consuetudo ipsa. Item, sicut antea diximus (cfr. comment. ad can. 22 n. 2) legem generalem non revocare, nisi expressa mentione facta, particularem legem, ita nec consuetudinem particularem revocare potest. Nam *locorum specialium et personarum singularium consuetudines... quum sint facti et in facto consistant, potest* (Romanus Pontifex) *probabiliter ignorare* (c. 1 *de constitutionibus* I, 2 in VI).

In conflictu vero duarum consuetudinum, *particularis attendenda est non autem universalis, sicut particularis alicuius loci praeferenda est generali totius territorii* (S. Rota, in *Recent.* decis. 153 n. 7 part. 10, et alibi).

Paucis verbis, quae hucusque diximus, resumamus. Leges latas in usum populus deducit: inde consuetudo secundum legem; si lex desit aut manca sit, populus supplet: inde consuetudo praeter legem; demum, si lex durior aut minus opportuna videatur aut fiat, populus non recipit vel receptam non servat: inde consuetudo contra legem. Idque in Ecclesia potissimum fieri reperimus. Pro eius enim immensa amplitudine, nihil mirum, si consuetudines particulares facilius invalescant, ut ius commune, tot Nationum ingenio ac necessitatibus aptetur. Hac de causa Legislator, omnibus, quae in futurum introductae erunt, consuetudinibus, sub certis conditionibus consentit, eisque vim legis attribuit (can. 27 et 28): inde consuetudo iuris, legalis, legitima. Huiusmodi igitur conditiones, illas tantum respiciunt consuetudines facti, quae vim legis independenter a lege, imo contra, legem ipsam consequi possunt; et ideo, non consuetudinem secundum legem, quae seiunctim a lege nec intelligitur, et cuius tota virtus in hoc consistit, quod usu legem optime interpretetur (can. 29): cum enim haec consuetudo ex seipsa legitima sit, amplius legitima fieri nequit. Unde, ex dictis patet, legitimam consuetudinem, qua de agitur hoc in titulo, dici posse *legem moribus populi constitutam:* hinc ea promanant, quae hoc titulo continentur. Quare, consuetudo legalis et nascitur et operatur et perit eo modo, quo lex quaelibet, morum tamen, quibus constituitur, habita ratione. Ex eo igitur quod *lex* est, ut consuetudo ecclesiastica nascatur, oportet in primis procedat a voluntate legislatoris, quae consensu saltem generali manifestetur (can. 25); deinde oportet inducatur a communitate legis ecclesiasticae capaci (can. 26); praeterea, inducatur per actus publicos, cum et lex publica sit; tandem rationabilis sit oportet (can. 27 et 28), sicut et lex rationabilis esse debet. Insuper, si agatur de consuetudine praeter legem, requiritur animus sese obligandi (can. 28), idest normam obligatoriam, non facultativam, legem nempe, introducendi. Ex eo vero

quod *moribus populi constituitur*, ut nascatur, oportet etiam consuetudo sit legitime praescripta (can 27 et 28), nempe per actus, quantum eorum natura sinit, frequentes, uniformes (ne uno quidem actu contrario interiecto) et liberos, idest voluntate spontanea id, quod agitur, agendi perfectos, secus enim populi mores nec intelliguntur. Deinde, legitima haec praescriptio, durare debet ad minus per quadraginta annos continuos et completos (can. 27 et 28). Demum, si agatur de consuetudine praeter legem, oportet huiusmodi actus scienter perficiantur (can. 28).

Semel autem constituta, consuetudo legalis, eodem plane modo atque lex quaelibet, operatur. Proinde et legem contrariam tollit, dummodo haec lata non fuerit a legislatore, qui superior sit eo, cuius consensu consuetudo introducitur (can. 27); et obligat omnes, qui lege obligari possunt (can. 27 et 28); et, instar legis, iubet, vetat, punit, permittit, irritat actus subditosve inhabilitat.

Perit autem consuetudo legalis eodem etiam modo, quo lex: nempe per expressam revocationem, lege factam a Superiore competenti (can. 30); per legem aut consuetudinem contrariam (ibid.). Et quemadmodum lex, ita consuetudo non cessat, si particularis sit, per legem generalem contrariam (ibid.), nisi expressa eius mentio in lege fiat.

TITULUS III.

DE TEMPORIS SUPPUTATIONE.

Cum tempus non possit a vita hominum rerumque motu seiungi, necessario reperitur in iure. Et saepissime etiam: sive enim agatur de lege vel praecepto certo tempore implendo, sive de iure acquirendo, exercendo, amittendo, tempus iugiter requiritur. Est igitur tempus elementum toto iure diffusum, quodque proinde plus minusve omnes leges respicit. Haec ratio, propter quam Legislator noster, statim post legem et consuetudinem ecclesiasticam, quae legi aequiparatur, agit de temporis supputatione.

Supputare tempus est tempus demetiri; quare supputatio triplex est: astronomica, civilis, iuridica. Antiquissimis igitur, quae ad rem non faciunt, supputationibus praetermissis, breviter videamus, quemadmodum apud Romanos, et inde usque ad aetatem nostram, tempus supputatum sit.

1) Supputatio astronomica circumvolutionibus siderum innititur, telluris praesertim ac lunae. Inde dies, annus, mensis conflata sunt.

Et in primis, diem vocamus illud temporis spatium, quo telluris circulus aliquis meridianus bis ante solem sistitur. Qui quidem modus diem supputandi, ab antiquitate recepimus. Cum vero, propter leges, quae vicissitudines planetarum moderantur, motu non omnino uniformi

per orbem suum tellus circumferatur, cumque proinde dies *verus* non semper eiusdem sit durationis, ab a. 1820 in Gallia recepta est per dies *medios* supputatio, et inde a Gallia ubique diffusa. Est autem dies medius fictitius dies, terrae motui, qui et ipse uniformis fingitur, innixus. Anno tamen absoluto (et quater intra annum) dies verus cum medio coincidit.

Porro diem, sane prorsus arbitrarie, in horas vigintiquatuor Romani diviserunt, quarum duodecim luci, duodecim vero nocti attribuerunt. Cumque et horarum vera supputatio, idest per quam tempus procedit minutis quinque pro quolibet longitudinis gradu, telegraphi praesertim ac viae ferreae usibus minus apta videretur: supputatio *zonaria*, idest regionalis, introducta est, per quam regiones illae, quae intra duos circulos meridianos, 15 gradus (1 hora) inter se distantes, reperiuntur, iuxta circulum meridianum medium indiscriminatim tempus supputarent. Ita factum est, ut ex. c. tota fere Europa (occidentali, centrali, orientali), iuxta tres tantum circulos meridianos tempus supputaretur.

Deinde, telluris circa solem circumvolutione expleta, tempus, duobus vernis aequinoctiis interiectum, annum tropicum vocamus. Hic constat diebus mediis 365 et horis 6, minutis tamen circiter 12 detractis (cfr. M. Pasanisi, *Geografia*, § 14, 2 et 16, 8).

Praeterea, lunae circa terram circumvolutio, diebus mediis 29 et horis circiter 6 perficitur: hinc periodus, quae mensis appellata est.

Tandem, cum lunae phases quatuor quolibet mense numerarentur, et phasis quaeque, plus quam 7 et minus quam 8 diebus mediis perficeretur, inde apud Romanos 8 dierum periodi habebantur, quarum dies postremus nundinalis erat; item, apud Hebraeos ed apud nos, periodi dierum septem, idest *hebdomada*, quarum dies ultimus vel sabbati vel dominicae nomen accepit. Haec de supputatione astronomica.

2) Tamen, cum vitae quotidianae necessitates, temporis supputationem expostulent, quae non segmentatis constet, sed perfectis diebus, inde annus civilis introductus est atque calendaria confecta.

Romani, usque ad emendationem a divo Iulio peractam, usi sunt civili supputatione, quae Numae regi vulgo tribuebatur, nimis sane implicata et saepe etiam, incuria vel arbitrio pontificum, immutata (cfr. Censorinus, *De die natali* c. 20; Macrobius, *Saturnal.* I, 13). Breviter: C. Caesaris tempore, tanta paullatim effecta erat confusio, ut ipsa anni tempora essent suo loco deiecta. Tum Dictator, Sosigenis Alexandrini opera, civilem temporis supputationem emendare instituit, novumque calendarium a. 709 ab U. c. edidit, quod suo nomine « Iulianum » vocatum est. Hoc in calendario, annus non 365, sed 366 dies numerabat, *die intercalari* introducto. Hic ex quatuor annorum residuis horis conflabatur et, quia post VI Kalend. Martias calendario inserebatur, *bis-*

sextilis vocatus est annus, ita auctus uno die. Et hoc modo divus Iulius haud parum meritus est de posteritate.

Nihilominus tempore Gregorii Pp. XIII, propter illa 12 circiter minuta, quae quolibet anno 6 residuis horis desunt, a C. Caesare non computata, calendarii supputatio a supputatione astronomica distabat iam 13 circiter diebus. Quare Pontifex Dictatoris opus absolvit. Revera cum, 12 illis minutis neglectis, quadringentesimo quoque anno aequinoctium suum locum 3 diebus praetergrederetur, decrevit, ut annorum bissextilium, qui periodo quadringentorum annorum inciderent, 3 essent communes. Hinc postea calendarium sic emendatum « Gregorianum » dictum est, et ab omnibus civilibus Nationibus receptum, iis exceptis, quae graeco schismati adhaeserant. Poteratne a Romanis Pontificibus quidquam boni sanciri?

3) Civilis temporis supputatio, prout calendario continetur, quemadmodum omnibus vitae quotidianae necessitatibus, ita et iuridicis supputationibus fundamentum praestat: ea tamen ius utitur singulari quadam ratione, ad praxim iuridicam magis accomodata.

Et primum, tum romano iuri tum nostro, sive canonico sive civili, supputationis fundamentum *dies* est, qui quidem a romanis iurisconsultis *dies naturalis* vel etiam *lux* appellabatur. Contra, apud gentes germanicas (cfr. Pertile, *Storia del dir. ital.* vol. VI, p. I pag. 243), *nox* habebatur, uti fundamentale elementum supputationis, ita, ut ex. c. quis teneretur in iudicio se sistere, post septem vel quatuordecim noctes, idest octavo vel quintodecimo die. Quod ius et apud nos aliquando cum barbaricis invasionibus importatum est, et in Gallia saeculo 13° adhuc perdurabat (1).

Deinde, quoad iuridicam temporis supputationem, nomine *anni*, in iure romano spatium venit semper 365 dierum. Hinc Iulianus (fr. 51 D. IX, 2): *Qui prior vulneraverit, tantum praestabit, quanto in anno proximo homo plurimi fuerit, repetitis ex die vulneris trecentum sexaginta quinque diebus.* Et Paulus (fr. 4 D. XL, 7); « *Stichus, si heredi meo servierit, liber esto* »: *quaerendum est, annus quomodo accipi debeat, an qui ex continuis diebus trecentum sexaginta quinque constet, an quibuslibet. Sed superius magis intelligendum Pomponius scribit.*

Proinde et dies intercalaris non supputabatur, sed cum VI Kalend. Martias diem unum efficiebat, qui *bissextum* vocabatur. Ad rem Ulpianus (fr. 3 D. IV, 4): *Proinde, si bissexto natus est, sive priore sive posteriore die, Celsus scripsit nihil referre: nam id biduum pro uno die habetur.* Et revera Celsus (fr. 98 D. L, 16): *Cum bissextum Kalendis est,*

---

(1) C. Tacitus (*De moribus Germanorum*, 11): *Nec dierum numero, ut nos, sed noctium computant.* — Ordonn. de S. Louis, 1270 c. 196: *Et li assenera souffissant jour, dedans les nuis, ou dehors les nuis de quinzaine, selon l'usage d'Orlenois.*

nihil refert, utrum priore an posteriore die quis natus sit: nam id biduum pro uno die habetur. Postea Gregorius Pp. IX (c. 14, X *de verbor. signific.* V, 40): *Quaesivit fraternitas tua, qua die festum beati Matthiae in anno bissextili debeat observari. Duximus respondendum, sive fiat in praecedenti die sive in sequenti, qui duo quasi pro uno reputantur, nullus error, sed consuetudo ecclesiastica teneatur.* Tamen nostra hac aetate, mensis februarius non amplius habetur ut intercalaris (cfr. D'Annibale, vol. I n. 39). Proinde annus bissextilis sumendus est prout iacet in calendario, et 366 diebus constat; mensis vero februarius 29.

Nomine autem *mensis*, iure romano venit spatium 30 dierum (2). Unde Papinianus (fr. 12 D. XLVIII, 5): *Sexaginta dies, qui marito accusanti utiles computantur, feriatis quoque diebus, modo facultatem praesidis adeundi accusator habuit, numerari certum est, quoniam de plano quoque libellus dari potest. Quod privilegium si amisit, non prohibetur, intra alios quatuor menses querelam suam apud iudicem deferre.* Et Iustinianus Aug. (nov. 115 c. 2): *Quando altera pars dicit, habere se quid proferre debeat, iudex partem, quae dilatione utitur, intra triginta dies post alterius partis renuntiationem, id quod voluerit proponere cogat. Quod si non fecerit, tunc alium mensem iudex largiatur.*

Denique nomine *diei* venit spatium horarum 24, quae iure romano a media nocte supputabantur. Quare Paulus (fr. 8 D. II, 12): *More romano, dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur.* At raro accidit, ut initium (terminus *a quo*) et exitus (terminus *ad quem*) alicuius temporis a iure requisiti, coincidat cum initio aut fine diei. Quid igitur? Dies non ut intervallum, sed uti quid indivisum concipitur a romanis iurisconsultis. Unde idem Paulus (fr. 134 D. V, 16): *Non ad momenta temporum, sed ad dies numeramus.* Hinc nihil refert hac vel illa hora diei inciderit factum, a quo supputatio est incipienda: diei tantum habetur ratio. Paulus (fr. 8 D. II, 12): *Quidquid in viginti quatuor horis, idest duobus dimidiatis noctibus et luce media actum est, perinde est, quasi quavis hora lucis actum esset.* Proinde dies *a quo* semper supputatur ut integer, quamvis rarissime integer sit. Quapropter Ulpianus (fr. 5 D. XXVIII, 1) ait: *Propone aliquem kalendis* (quavis hora) *Ianuariis natum, testamentum ipso natali suo* (quavis etiam hora diei) *fecisse quartodecimo anno: an valeat testamentum? Dico valere.* Et alibi (fr. 1 D. XL, 1) idem Ulpianus: *Placuit eum, qui kalendis Ianuariis*

---

(2) Idque non sine ratione. Electio enim erat inter numerum 30 et 31: prior habitus est magis idoneus. Et merito, nam et propior est tum anni duodecimae parti (dies 30 et $^{5}/_{12}$), tum supputationi astronomicae, et tum facilius in memoriam revocatur, tum propter suam divisibilitatem, vitae necessitatibus facilius aptari potest (cfr. Savigny, *System* etc. § 181).

(quavis hora) *natus est, post sextam noctis* (idest post mediam noctem) *pridie kalendas, quasi annum vicesimum compleverit, posse manumittere.*

Magis implicata est quaestio de supputatione exitus diei *ad quem.* Quocirca interdum ius romanum diem inceptum pro perfecto habet, interdum vero elapsum esse requirit. Ita, duobus postremis exemplis allatis, dies inceptus uti perfectus habetur. Contra, Paulus (fr. 6 D. XLIV, 7): *In omnibus temporalibus actionibus, nisi novissimus totus dies compleatur, non finit obligationem.* Haec autem est differentiae ratio, quod in primo casu agebatur de iure acquirendo, idest de re favorabili, et ius civile tunc acquisitionem accelerat; in altera de amittendo, idest de re odiosa, et ius tunc amissionem retardat. Quod quidem generatim et iure canonico ante codificationem receptum erat (cfr. D'Annibale, *Summula* etc. vol. I n. 39).

His breviter praemissis, de titulo III videamus. Primo igitur canone Legislator materiam tractandam suis limitibus circumscribit; altero, cuiuslibet supputationis elementa proponit; tertio, quasdam exceptiones admittit contra communis supputationis regulas; quarto, normas communes constituit ad tempus canonice supputandum; postremo, agit de continuo et utili tempore.

Can. 31.

Salvis legibus liturgicis, tempus, nisi aliud expresse caveatur, supputetur ad norman canonum qui sequuntur.

Est hic canon fundamentalis, quo Legislator materiam tractandam finibus circumscribit.

1. *Salvis legibus liturgicis* ... Sacra enim liturgia rationem sibi peculiarem adhibet in tempore supputando. Sed haec ad nos non pertinent: scire hic nos sufficit, huius tituli canones liturgicam temporis supputationem non respicere. — *nisi aliud expresse caveatur*... Et aliud expresse caveri potest tum a iure, tum ab homine. Ita ex. c. can. 923 iure expresse cavetur, ut *ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri possit a meridie diei praecedentis, usque ad mediam noctem, quae statutum diem claudit.* Videlicet, dum indulgentia *diei affixa est*, qui, ad normam canonis 32 huius tituli, 24 *horis constat a media nocte supputandis*, contra, cum agitur de indulgentiis huiusmodi, dies *a meridie* praecedenti incipere censetur. — *tempus supputetur ad normam* etc... Lex non distinguit. Nisi igitur aliud iure expresse caveatur, quotiescumque tempus est in iure canonico supputandum, secundum canones, qui sequuntur, supputari debet.

2. Exemplo Codicum recentissimorum iuris civilis, ex. c. Germanici(3), placuit Legislatori nostro de temporis hic supputatione generaliter disserere : quare hoc primo canone et normam fundamentalem statuit, et apte circumscribit, excipiendo liturgicas leges atque ea, quae postea speciatim sive a iure sive ab homine constituentur.

CAN. 32.

§ 1. *Dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte, hebdomada 7 diebus.*

§ 2. *In iure nomine mensis venit spatium 30, anni vero spatium 365 dierum, nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario.*

Canon statuit canonicae temporis supputationis elementa.

1. *Continuo supputandis...* idest sine ulla, ne momenti quidem, interruptione (cfr. comment. ad can. 35. n. 2) — *a media nocte...* Videlicet, ut ait Gregorius Pp. IX (c. 24, X *de officic. iudicis deleg.* I, 29), *licet, secundum consuetudinem et constitutiones legitimas, more Romano dies a medietate noctis incipiat, et in medio noctis desinat subsequentis,*

---

(3) Qui quidem (libr. I sect. IV) haec habet: *Quoad ea, quae de terminis sive legibus, sive decretis iudicialibus, sive iuridicis negotiis decernuntur, valent normae interpretativae, quae sequuntur* (§ 186). — *Si intervallum supputandum initium capiat a facto vel momento, quod non coincidit cum initio diei, hic dies tunc in supputatione negligitur ; si vero coincidat, supputatur. Idque etiam valet, quoad supputationem diei natalis atque aetatis personarum* (§ 187). — *Intervallum, diebus expressum, finitur expleto ultimo die; expressum vero hebdomadis, mensibus vel mensium complexu* (trimestri, semestri, annali), *si quidem eius initium non coincidat cum initio diei, intervallum finitur expleto hebdomadae vel mensis die, qui aut nomine aut numero respondeat diei initiali* (tunc non computato); *si autem eius initium cum initio diei coincidat, intervallum finitur, cum incipit ultimae hebdomadae vel mensis dies, qui aut nomine aut numero diei initiali* (tunc computato) *respondeat. Quod si mensis die eiusdem numeri careat, tunc semper intervallum finitur, expleto ultimo die mensis* (§ 188). — *Nomine « trimestris » vel « semestris » venit intervallum trium vel sex mensium ; « dimidiati » vero « mensis » nomine, intervallum quindecim dierum. Si temporis intervallum mense aut mensibus exprimatur, cum adiecto dimidiato mense, hic post mensem aut menses integros supputari debet* (§ 189). — *Cum intervallum prorogatur, tempus adiectum expleto praecedente supputandum est* (§ 190). — *Si temporis intervallum, mensibus aut annis constans, non sit continuo supputandum, mensis intelligitur 30 dierum, annus 365* (§ 191). — *Cum agitur de « initio mensis », dies primus ; cum de « mensis die medio », quintus decimus ; demum, cum de « fine mensis » ultimus mensis dies intelligitur* (§ 192). — *Si iuridicum negotium perficiendum sit aut praestatio exhibenda die praestituto, aut intra temporis quoddam intervallum, et praestitutus dies aut intervalli dies ultimus, in dominicum diem incidat aut festum a locali auctoritate recognitum, his diebus sequens profestus dies subrogabitur* (§ 193).

unde quod in duabus dimidiatis noctibus agitur, perinde sanxit habendum legalis auctoritas, ac si qualibet parte lucis agatur, nos tamen eam procedendi horam congruam intelligimus, ex qua possis ante noctis tenebras perficere, quod incumbit. Haec autem media nox, uti patet ex canone sequenti, vera esse potest, idest ad normam computationis astronomicae statuta, vel fictitia, publica tamen auctoritate introducta: scilicet *loci usui standum est* (cfr. can. 33, § 1).

In iure nomine mensis... Secus ac supra (§ 1), distinguitur hic iuridica supputatio a calendarii supputatione. Dum enim, tum dies tum hebdomada utrique supputationi eadem sunt, contra, mensis et annus in calendario saepe sunt dissimiles. Nihilominus in iure canonico saepe usurpatur supputatio iuridica, per quam, nomine mensis vel anni, intelligimus spatium 30 vel 365 dierum, etiamsi tempori, prout in calendario significatur, minime respondeat. Et haec iuris dispositio universalis est, et tenet etiam Nationes, veluti Sinensem, quae non solari sed lunari anno utuntur. Hinc S. C. S. Officii *(Chan-si,* 7 maii 1890) declaravit, *annos aetatis, ad matrimonii validitatem requisitos, solares esse debere: quod, si supputatio huiusmodi fieri non possit, aetas supputetur iuxta annum quidem lunarem, sed mense adiecto. — nisi mensis et annus dicantur sumendi, etc...* sicut ex. c. dicuntur can. 34 (§§ 1, 2 et 3 n. 1). Dici autem possunt, tum a iure tum ab homine: sed tempus *concessum ab homine, diversum reputatar ab eo, quod a iure statuitur, et ex uno ad aliud non infertur* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 13 n. 8 part. 13); dum, *contra, tempus prorogatum* (idest ab homine), *censetur unum et idem cum primo tempore* (ibid. decis. 74 n. 26 part. 16 et alibi), *et omnibus pollet qualitatibus ac iuribus, perinde ac si idem terminus substantifice fuisset* (S. Rota, in *Nuperr.* decis. 289 n. 11).

2. Ex canone igitur, *dies constat 24 horis, hebdomada 7 diebus, mensis 30, annus 365:* cum, nempe, et annus et mensis iuxta calendarium supputari non possunt. Quod saepissime contingit. Et haec habenda sunt tanquam elementa cuiuslibet canonicae supputationis. Itaque cum nobis sint tralatitia (cfr. Introduc. Tit.), et rerum naturae, quantum fieri potest, respondeant, Legislator denuo sanxit et Codici inseruit. Aliquando tamen, a iure vel ab homine, mensis et annus dicuntur sumendi prout sunt in calendario, et tunc non eandem semper durationem habent, sed eam, quae a calendarii Gregoriani regulis statuta est.

Praeterea, in canone horae diei *continuo supputandae* dicuntur. Et cum non dies tantum, sed mensis etiam et annus horis conflentur, omne tempus per se continuo supputandum est: est enim tempus *numerus motus secundum prius et posterius* (4), ut Aristoteles ait (IV *Physicor.* 101), et ideo natura sua iugiter currit, quamvis, fictione iuris, detur etiam,

(4) Τοῦτο γάρ ἐστιν ὁ χρόνος, ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον (loc. cit.).

uti postea videbimus, et utile tempus et intermissum. Et haec est ratio, quare tempori, *quando datum est pro forma, videlicet quando petitum est ad aliquem actum, nec minimum quid addi aut detrahi potest* (S. Rota, in *Recentior.* decis, 300 n. 29 et 31 part. 10); *in his enim*, ait d'Annibale (*Summula*, vol. I n. 39), *quae natura aut iure aut hominis voluntate definita sunt, non est morali aestimationi locus. Itaque, etsi momentum temporis desit aut praeterierit, computabitur.* Proinde tum hora, tum horae dimidium aut quadrans praeterisse intelligitur, cum primus horologii ictus sequentem denunciat.

CAN. 33.

§ 1. *In supputandis horis diei standum est communi loci usui; sed in privata Missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium.*

§ 2. *Quod attinet ad tempus urgendi contractuum obligationes, servetur, nisi aliter exprcssa pactione conventum fuerit, praescriptum iuris civilis in territorio vigentis.*

Hic, et modus statuitur horas supputandi, et quaedam excipiuntur a communi temporis supputatione.

1. *In supputandis horis diei...* nempe, uti supra dictum est, de media ad mediam noctem — *standum est...* idest, tanquam normae fundamentali, et ideo quotiescumque aliud non caveatur — *communi loci usui...* videlicet standum est ei supputandi modo, qui in territorio communiter adhibetur, quicunque ille sit, dum ne plus minusve quam horae 24 supputentur. Quidnam autem praecise respicere debeat iste *loci usus*, ex iis, quae mox dicentur, patebit. — *sed...* En exceptio prima, de privata Missae celebratione horarumque canonicarum recitatione, de sacra communione recipienda atque lege ieiunii et abstinentiae servanda. — *in privata...* idest neque sollemni neque « cum cantu » — *Missae celebratione...* Codex (can. 821) de tempore Missae celebrandae haec statuit: *Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram vel serius quam una hora post meridiem.* Quare quaestio hic est de meridie supputando. — *in privata... In publica enim seu chorali recitatione, neque matutinum pro insequenti die hora secunda pomeridiana incipi potest, nisi habeatur indultus* (S. R. C. in *Placentina Hisp.* 12 maii 1905), neque ceterae divini officii partes, nisi statis horis, recitari permittuntur. — *horarum canonicarum recitatione...* Quocirca Codex (can. 135) ait: *Clerici in maioribus ordinibus constituti, tenentur obliga-*

tione quotidie horas canonicas integre recitandi, etc. Hic igitur, tempus supputandum, de media ad mediam noctem currit. — *in sacra communione recipienda...* quae quidem recipi potest *iis tantum horis, quibus Missae sacrificium offerri potest* (can. 867, § 4), *nisi aliud rationabilis causa suadeat;* praeterea *qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti* (can. 858, § 1): quapropter et media nox et meridies supputanda sunt. — *in ieiunii vel abstinentiae lege servanda...* Scilicet, *lex ieiunii praescribit ut nonnisi unica per diem comestio fiat* (can. 1251, § 1). *Abstinentiae autem lex vetat* (item per diem) *carne iureque ex carne vesci* (can. 1250). Proinde, et hic agitur de tempore, duabus consequentibus mediis noctibus interiecto. — *licet alia sit usualis loci supputatio...* Agitur itaque de meridiei ac mediae noctis supputatione, quae pro diverso adhibito modo supputandi, variis in locis aliquatenus discrepare potest. — *potest quis sequi...* Quomodo? Libere prorsus et indiscriminatim, *iuxta proprium placitum, stare potest publicis horologiis* tempus ex. c. verum aut medium notantibus, *ita ut aliquando uni, aliquando vero alteri adhaereat* (S. R. C. in *Clodien.* 7 aug. 1875 ad 9), dum ne ex duplici supputatione actus perficiantur, qui unica perfici non possent: velut si quis ex. c., feria sexta labente, et, eo quod iuxta tempus verum sabbatum iam inceperit, abstinentiam frangat, et, eo quod iuxta tempus medium nondum inceperit, deinde ad sacram communionem accedat. — *aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium...* Quid sit tempus verum, medium, regionale, diximus supra (cfr. Introd. Tit.). Extraordinarium autem tempus est, quod non permanenter publica auctoritate constituitur, uti nuper factum est, dum orbis immani bello flagrabat.

Quod attinet ad tempus... idest ad temporis supputationem, qua de agitur in titulo: en altera exceptio, a communibus regulis iuris canonici propriis. — *urgendi...* Plures haec vox habet significationes. Hic autem eodem sensu accipitur ac in can. 24: *Praecepta... iudicialiter urgeri nequeunt.* Nimirum perinde est, ac si diceretur: exigendi, ut obligatio impleatur. — *contractuum obligationes...* Can. 1529 ait: *Quae ius civile in territorio statuit de contractibus, eadem iure canonico in materia ecclesiastica iisdem cum effectibus serventur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur.* Hinc, quidquid ius civile, in territorio vigens, de contractibus statuit et proinde etiam de supputatione temporis in urgendis, quae ex contractibus manant, obligationibus, id omne et iure canonico servandum est. Non tamen inutiliter haec verba Legislator inseruit: sequitur enim — *nisi aliter expressa pactione conventum fuerit...* Ideo iure canonico, idest apud iudicem ecclesiasticum, non solum legitimae habentur, sed etiam praeferuntur iuris naturalis liberae pactiones, circa tempus urgendi obligationes ex contractibus enascentes, dummodo tamen pactio expressa sit, ita ut

documento aut testibus probari possit. — *praescriptum iuris civilis* ... Quid nomine hic iuris civilis? Compilatio Iustiniani Aug., quae quidem ius universum, tum publicum tum privatum, complectebatur, iam a tempore glossatorum studii Bononiensis « Corpus iuris civilis » appellata est: ait enim Gaius (Instit. I § 1): *Quod quisque populus ipse sibi ius constituit, id ipsius proprium est, vocaturque ius civile quasi ius proprium civitatis.* Suntne ita verba canonis interpretanda? Non videtur. Nam publicum ius est, ut Ulpiano placet, *quod ad statum rei publicae spectat* (fr. 1 D. I, 1) seu, ut magis placet huius nostrae aetatis iurisperitis, est ius *in quo praevalet publica utilitas*, quodque proinde et *ius coactivum dicitur* (N. Coviello, *Manuale*, p. 13 et seq.; Stolfi, *Diritto civile*, I n. 341), et *privatorum pactis mutari non potest* (fr. 38 D. II, 14). Scilicet potest quis ex. c. actione nata non uti (est enim hic usus privati iuris), sed ne actio nascatur pacto efficere non potest, nam ortus actionis iuris publici est (cfr. Cuiacium, *ad libr. II Quaest. Papiniani*). Cum igitur Codex loquatur de iure civili, de quo potest quis effugere privata pactione, patet Legislatorem nequaquam loqui de publico iure, idest non de iure poenali, et multo minus constitutionali aut administrativo, quae ad rem non pertinent. Proinde non restat nisi ius, quod proprie civile dicitur, una cum iure commerciali, quorum privatae dispositiones *ad singulorum utilitatem spectant* (fr. 1 D. I, 1) et ideo mutari possunt pactis privatorum.

2. Tria igitur in canone facit Legislator. In primis statuit, horarum diei supputationem, iuxta loci communem usum fieri oportere. Cuius legis tota ratio est in congruentia, plus dicam, in necessitate legis: nam supputatio temporis a more locali, qui et iure civili semper aut introductus est aut sancitus, aliena nec concipi potest. Scilicet, poteratne Legislator populi moribus, iure civili firmatis, ignotam prorsus aut minus notam rationem supputandi statuere? — Deinde quoad privatam Missae celebrationem, horarum canonicarum recitationem, sacram communionem recipiendam, abstinentiae legem servandam, liberam esse voluit supputationem temporis, ita ut omnibus modis, quibus nostra hac aetate uti solemus, supputari possit. Et sapienter. Agebatur enim de materia mere ecclesiastica; de re, quae privatam tantum respicit subditorum personam; de levi inter varias supputationes discrepantia. Cum igitur ex rerum natura nulla subesset difficultas, liberos nos reliquit, quem magis placuerit, modum eligendi. — Demum sanxit, supputationem temporis quoad obligationes urgendas, quae profluunt ex contractibus ex die vel in diem initis, fieri debere iuxta pacta conventa aut, pacto deficiente, iuxta praescriptum iuris civilis. Sunt enim contractus quid mere privatum natura sua, quos proinde legis (et quidem civilis) est, non profecto inire, sed recognoscere atque tutari ad normam naturalis iuris. (cfr. Lomonaco, *Istit. dir. civ.* vol. III n. 118).

3. Itaque videndum est quidnam hac de re ius civile statuat. Et primum, an de obligationibus, quarum quaestio est, urgendis, aliquid statuat speciatim; deinde, speciali dispositione deficiente, an leges saltem generaliter disponant de iuridica temporis supputatione; tandem, si haec etiam deficiat, ut ex. c. iure Anglico et Hungarico interdum evenire solet, consuetudo perpendenda est et praxis atque iurisprudentia tribunalium (5).

---

(5) Sit exemplum contractus ex literis collybisticis (*cambiale, lettre de change*). Huiusmodi contractus obligatio urgeri potest:

1) si contractus sine die perfectus sit (*a vista, à vue*), quovis tempore per literarum exhibitionem debitori factam (Codex commerc. Italic. art. 383 (a) — Gallic. art. 130 — Hispan. art. 452 — Lusitan. art. 310 — Romen. art. 305 — Argent. art. 610 — Cilen. art. 643 — Lex gener. German. *de literis collybisticis* (5 iunii 1869, art. 31), vel ad summum dilatio unius diei aliquando conceditur (Cod. commerc. Argent. art. 610).

2) Si contractus perfectus sit sine die quidem quoad exhibitionem literarum, sed ex die quoad debiti solutionem (*a certo tempo vista, à un certain temps de vue*), tunc quovis tempore literae exhiberi possunt at, literis exhibitis, antequam dies veniat, obligatio urgeri non potest (Cod. commerc. Italic. art. 284 (b) — Gallic. art. 131 — Hispan. art. 452 — Lusitan. art. 310 — Romen. art. 305 — Argent. art. 610 — Cilen. art. 644 — Lex gener. German. etc. art. 32).

3) Si contractus perfectus sit ex die, ut nempe solutio fiat post dies aliquot aut menses a die literis adscripto (*a certo tempo data, à un certain temps de date*), obligatio tunc tantum urgeri potest, cum statutum tempus elapsum fuerit (Cod. commerc. Hispan. art. 452 — Romen. art. 307 — Argent. art. 611 — Cilen. art. 644 — Lex gener. German. etc. art. 32).

4) Si contractu pactum fuerit, ut solutio fiat die aliquo explicite aut implicite statuto (*a giorno fisso, à jour fixe*), tunc illo die dumtaxat urgeri potest (Cod. commerc. Hispan. art. 452 — Lusitan. art. 309 — Argent. art. 612 — Cilen. art. 743 — Lex gener. German. etc. art. 30).

5) Demum, si pactum fuerit, ut solutio fiat in nundinis (*in fiera, en foire*), tunc solutio urgenda est ad norman legum particularium, si quae sint (Lex gener. German. etc. art. 35); et his deficientibus, si plures fuerint dies nundinales, pridie ultimi diei (Cod. commer. Italic. art. 286 (c) — Gallic. art. 133 — Hispan. art. 452 — Lusitan. art. 310 — Romen. art. 388 — Cilen. art. 643 — Lex gener. German. etc. art. 35); ipso vero nundinali die, si unicus fuerit (Cod. commerc. Italic. art. 286 (c) — Romen. art. 308 — Lex gener. German. etc. art. 35).

Literae igitur collybisticae, si sine die pactum sit, quovis momento temporis

---

(a) Art. 283 — *Si agatur de literis collybisticis «à vue», debiti solutio quovis tempore urgeri potest.*

(b) Art. 284 — *Si agatur de literis «à certain temps de vue», solutionis tempus supputatur a die acceptationis vel exhibitionis, iuxta praescriptum sectionis VIII huius capitis peractae.*

(c) Art. 286 — *Cum solutio fieri debet «en foire», tunc pridie ultimi diei, si plures fuerint, vel unico die nundinarum facienda est.*

CAN. 34.

§ 1. *Si mensis et annus designentur proprio nomine, ex. gr. « mense februario, anno proxime futuro », sumantur prout sunt in calendario.*

§ 2. *Si terminus « a quo » nec explicite nec implicite assignetur, ex. gr. « suspensio a Missae celebratione per mensem aut duos annos, tres in anno vacationum menses » etc., tempus supputetur de momento ad momentum; et si tempus sit continuum, ut in allato primo exemplo, menses et anni sumantur prout sunt in calendario; si intermissum, hebdomada intelligatur 7 dierum, mensis 30, annus 365.*

§ 3. *Si tempus constet uno vel pluribus mensibus, aut annis una vel pluribus hebdomadibus aut tandem pluribus diebus, et terminus « a quo » explicite vel implicite assignetur:*

1°. *Menses et anni sumantur prout sunt in calendario;*

---

exhiberi possunt et debiti solutio urgeri. Imo, etiamsi ex die pactum sit, si in quem diem literis non appareat, sine die pactum intelligitur (Cod. commerc. Argentin. art. 609 — Cilen. art. 643). Si vero et ex die pactum fuerit, et id tempus explicite aut implicite literis sit expressum, hae literae praestitnta die exhiberi debent (Cod. commerc. Lusitan. art. 314). At qua ratione huiusmodi urgendae obligationis tempus supputandum est?

1) Si hebdomadis, mensibus aut mensium complexu (annali, semestri, trimestri) sit aestimandum, dies, quo literae subsignatae aut exhibitae sunt, sive privatim sive iudicialiter (*protesto, protêt*) exhibeantur, computatur (Lex gener. German. etc. art. 32 n. 2 — Cod. commerc. Romen. art. 307). Idem autem dies, si tempus diebus supputandum sit (ibid.) aut etiam hebdomadis, mensibus vel usibus (*usances*), non computatur (Cod. commerc. Gallic. art. 132 — Hispan. art. 452 — Lusitan. art. 311 § unic. — Argent. art. 611 — Cilen. art. 644).

2) Incluso aut minus primo die, constitutum tempus aut quoad menses et annos (Lex gener. German. art. 34) aut quoad menses (Cod. commer. Italic. art. 285 (d) — Gallic. art. 132) vel quoad annos tantum (Cod. Lusitan. art. 311) iuxta calendarium Gregorianum supputatur. Quod si literae in territorio, in quo calendarium Iulianum vigeat, subsignatae fuerint, et obligatio contractualis urgenda sit in territorio (ex. c. Germanico), in quo calendarium receptum est, neque scripto appareat contrahentes in hoc calendarium consensisse: condictus dies ad diem calendarii Gregoriani, ei respondentem redigendus est (Lex gener. German. etc. art. 34). Menses vero aut *usances* continuo supputanda sunt de die ad diem (Cod. commerc. Hispan. art. 454 — Argentin. art. 613 — Cilen. art. 645). Interdum tamen, si tempus supputandum sit diebus, dies

---

(d) Art. 285 — *Menses iuxta calendarium Gregorianum supputandi sunt.*

Si literis condictum tempus finiendum dicatur dimidio mensis, id die 15 futurum intelligitur.

Si vero dicatur finiendum initio aut fine mensis, id futurum censetur primo eiusdem aut postremo die.

2°. *Si terminus « a quo » coincidat cum initio diei, ex. gr. « duo vacationum menses a die 15 augusti », primus dies ad explendam numerationem computetur et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri;*

3°. *Si terminus « a quo » non coincidat cum initio diei, ex. gr. « decimus quartus aetatis annus, annus novitiatus, octiduum a vacatione sedis episcopalis, decendium ad appellandum » etc., primus dies ne computetur et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri;*

4°. *Quod si mensis die eiusdem numeri careat, ex. gr. « unus mensis a die 30 ianuarii », tunc pro diverso casu tempus finiatur incipiente vel expleto ultimo die mensis;*

5°. *Si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, ex. gr. « triennium ad professionem perpetuam post temporariam, triennium aliudve temporis spatium ad electionem renovandam » etc., tempus finitur eodem recurrente die, quo incepit, sed novus actus per integrum eundem diem poni potest.*

---

quo solutio facienda est, in supputatione non comprehenditur (Cod. commerc. Romen. art. 307) vel etiam, si tempus sit hebdomadis, mensibus, mensium complexu supputandum, eo die hebdomadae vel mensis finitur, qui nomine aut numero diei initiali respondet (Lex gener. German. etc. art. 32, n. 2 — Cod. commerc. Romen. art. 307). Praeterea menses aliquando 30 dierum intelliguntur (Cod. commerc. Lusitan. art. 311). Quod si literis, tempus finiendum dicatur dimidio mensis, id die 15 futurum intelligitur; si initio aut fine mensis aut anni, eorundem primo vel postremo die (Cod. commerc. Italic. art. 285 (e) — Lusitan. art. 310 — Romen. art. 307 — Lex gener. German. etc. art. 30). Alibi tandem condictum tempus iuxta dispositiones generales Codicis civilis supputari oportet (Cod. commerc. Argentin. art. 613).

3) Si autem mensis, quo tempus finiendum est, careat die, qui initialis diei numero respondeat, tunc tempus ultimo die mensis, quicumque ille sit, expletur (Cod. commerc. Hispan. art. 454 — Romen. art. 307 — Cilen. art. 645 — Lex gener. German. etc. art. 32 n. 2).

4) Si condicti temporis dies ultimus festus fuerit, contractus obligatio, nonnisi profesto die immediate subsequenti urgeri potest. (Cod. commerc. Italic. art. 288 (f) — Gallic. art. 134 — Lusitan. art. 414 § 2 — Romen. art. 310), vel immediate praecedenti (Cod. commerc. Hispan. art. 455 — Argent. art. 613) vel etiam, privatim quidem, praecedenti, iudicialiter vero die immediate subsequenti (Cod. commerc. Cilen. art. 647).

5) Tandem, statuti temporis ultimus dies, istic quidem clausa Bursa finitur, vel, si Bursa non extet, solis occasu (Cod. commerc. Lusitan art. 314 § 1); illic vero semper finitur occasu solis (Cod. commerc. Hispan. art. 455 — Argent. art. 614 — Cilen. art. 646).

(e) Cfr. artic. citat.

(f) Art. 288 — *Quod si dies, quo solutio facienda est, festus fuerit, haec differtur in profestum diem immediate subsequentem.*

Prolixiore hoc canone Legislator, omnibus, quae praelibanda erant, definitis, tandem communes regulas tradit de temporis supputatione.

1. *Designentur proprio nomine* ... Agitur nempe hac paragrapho de mensibus duntaxat et annis: hebdomada enim atque dies, cum semper diuturnitate sibimetipsis sint aequales, semper quoque sumuntur prout sunt in calendario. Contra, mensis et annus in calendario modo longiores modo breviores sunt, et ideo, uti sciatur quem sumere oporteat, designari debent. Et cum mensis aut annus proprio nomine designantur, designantur etiam implicite tum terminus *a quo* tum terminus *ad quem*: puta, si dicatur *mense martio vel anno proximo* aliquid agendum esse vel non agendum, clarissime patet statutum tempus intercedere mediis noctibus, quibus incipiunt martiae et apriles calendae vel proximus et consequens annus. — *vel aequivalenter* ... idest non proprio quidem nomine, sed verbis, quae eidem aequipolleant, ita, ut nullum dubium subesse possit — *sumantur prout sunt in calendario* ... et ideo tunc menses modo 28 modo 29, 30, 31 diebus constant; anni vero modo 365 modo 366 diebus.

Si terminus «a quo» ... idest, si dies, hora, momentum, a quo spatium aliquod temporis decurrere incipit. Hac canonis paragrapho altera, non de mense solummodo, uti supra, et anno agitur, sed de die etiam et hora: breviter, de quolibet spatio temporis, quod ita sit porrectum, ut loqui liceat de termino *a quo* — *nec explicite, nec implicite assignetur* ... Terminus *a quo* explicite tunc assignatur, cum expresse statuitur dies aut hora aut momentum, a quo oportet incipiat supputatio; implicite vero, cum verbis minime statuitur, at, verbis cum circumstantiis copulatis, facile arguitur: veluti, si dicatur *decendium ad appellandum,* terminus *a quo* nequaquam explicite statuitur, sed cum aliunde constet, ius appellandi statim acquiri post prolatam sententiam, hinc implicite statutus censendus est. — *a momento ad momentum* ... Momentum a latinis scriptoribus accipitur pro exigua qualibet parte temporis. Ita Cicero (VI *ad famil.* 10): *Quae quoniam in temporum inclinationibus saepe parvis posita sunt, omnia momenta observabimus, neque ullum praetermittemus tui iuvandi et levandi locum.* Contra, Horatius (I *Satyr.* 1,7):

horae
momento, aut cita mors venit aut victoria laeta.

Romani autem iurisconsulti, ut animadvertit Cuiacius (*de diversis temporum praescriptionibus et terminis* c. I), *pro atomo plerumque accipiunt,* videlicet pro temporis puncto, ut, cum Ulpianus ait: *Placet, quotiens adquiritur per aliquem hereditas vel quid aliud ei, cuius quis in potestate est, confestim adquiri ei, cuius est in potestate, neque momento aliquo subsistere in persona eius, per quem adquiritur.* Atque eodem modo hic

usurpari videtur a Legislatore nostro. Et ideo de momento ad momentum tempus supputare, est intervallum demetiri per temporis puncta extrema. — *et si tempus sit continuum...* quod nempe interruptionem non patiatur (cfr. comment. ad can. 35 n. 2) — *ut in allato primo exemplo...* non enim censura interruptionem admitti — *si intermissum...* idest quod membratim quoque supputare liceat, prout contingit de tempore vacationis. Ita can. 338 § 2: *abesse possunt aequa de causa non ultra duos vel ad summum tres menses intra annum, sive continuos sive intermissos*; can 418: *possunt singuli abesse tres tantum menses in anno, sive continuos sive intermissos*; can. 465 § 2: *eidem abesse permittitur per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos* (cfr. comment. ad can. 35 n. 2).

Si tempus constet uno vel pluribus... annis, mensibus, hebdomadis, diebus: haec omnia paragraphus complectitur, exclusis diebus singulis, quibus, quae sequuntur, aptari non possunt. — *Menses et anni sumantur...* Praescriptum, menses tantum et annos respicit: hebdomada enim ac dies, semper prout sunt in calendario, uti supra animadvertimus, sumuntur. — *Si terminus « a quo » coincidat cum initio diei...* Tunc autem terminus *a quo,* idest temporis supputandi punctum initiale, cum initio diei coincidit, cum simul incipiunt, cum nempe tempus supputandum a media nocte initium capit. — *primus dies...* idest, in casu, dies 15 augusti, qui integre supputatur — *incipiente ultimo die...* videlicet, ad explendum intervallum statutum, necessarium. — *eiusdem numeri...* qui, scilicet, dies eodem numero ac dies *a quo* designetur. Proinde in casu proposito vacatio pertingit a media nocte, qua incipit dies 15 augusti, usque ad mediam noctem, qua incipit dies 15 octobris. — *Si terminus « a quo » non coincidat...* prout accidit in exemplis allatis: nam perraro contingit, ut exacte quis media nocte in lucem edatur aut sedes episcopalis vacare incipiat, fere nunquam vero, ut annus novitiatus inchoetur aut feratur sententia iudicialis. — *primus dies ne computetur...* Est supputatio fictitia, sed, ut infra videbimus, sapienter introducta. (cfr. Introd. Tit.) — *et tempus finiatur* etc... Proinde, si annus novitiatus inceptus fuerit die 24 aprilis hora 12, primus hic dies non computabitur et annus novitiatus finietur, insequenti anno, media nocte, qua dies 24 aprilis finitur. — *Quod si mensis die eiusdem numeri careat...* Ita aprilis, iunius, septembris, novembris carent die 31; februarius autem, si bissextilis, 31 et 30: si vero communis fuerit, etiam 29 die caret. — *pro diverso casu...* quod nempe terminus *a quo* coincidat aut minus cum initio diei — *ultimo die mensis...* idest eius mensis, qui caret die eiusdem numeri. Si ex. c. statuantur menses duo a die 30 decembris, et terminus *a quo* huius temporis coincidat cum initio diei, bimestre statutum finitur media nocte, qua incipit februarii ultimus dies: si, contra, non coincidat, finitur media nocte, qua idem ultimus

dies expletur. Et sic aliis in casibus: nimirum, tunc mensis unicus aut, si plures fuerint, postremo supputandus, pro variis casibus aut dies 30, aut 29 aut 28 aut 27 numerabit. — *Si agatur de actibus eiusdem generis...* qui nempe genere conveniant, quamvis, ut ex. c. professio perpetua a temporaria, aliqua ratione differant — *statis temporibus...* idest a iure taxative statutis, sive communi sive particulari — *eodem recurrente die quo incepit...* videlicet recurrente post tempus statutum; velut, si prima professio ex. c. emissa sit a. 1920 die 16 februarii et, ad normam can. 574 § 1, haec professio *ad triennium sit valitura,* tempus finitur die 16 februarii a. 1923. — *per integrum eundem diem...* idest de media ad mediam noctem, nam, ut ait S. Congr. de Religiosis in decr. 3 maii 1914, *annus integer novitiatus in posterum non stricte de hora ad horam, sed de die in diem intelligi debet. Idem dicendum de tribus integris annis votorum simplicium, quae emissionem votorum solemnium praecedere debent.* Et ideo, in proposito casu, per integrum diem 16 februarii religiosus vota perpetua nuncupare potest; quae, si antea emissa fuerint, sicut etiam si Superior religiosus minor, ante expletum a priore electione triennium iure statutum, electus fuerit (can. 505), neque Superior antea electus, iure officio deciderit, irrita sunt.

2. Tempus igitur annis, mensibus, hebdomadis, diebus aut singulis aut pluribus significatur. Tum anni, tum menses inaequales sunt, ideoque illi numero, hi proprio nomine saepe designantur; praeterea, utrique aequivalenter designari possunt. Hebdomada quoque et dies, possent utique et ipsi numero designari: sed huiusmodi numeratione rarius utimur.

Itaque, si menses nomine aut anni numero vel utrique aequivalenter designentur, simul, ut patet, designatur et terminus *a quo* initium capiunt et terminus *ad quem* pertingunt, idest duae mediae noctes, inter quas clauduntur. Et cum nomen aut numerum a calendario recipiant, sequitur, tum esse supputandos prout in calendario reperiuntur.

Quod si menses et anni, neque nomine, neque numero, neque aequivalenter designentur, aut si de hebdomadis vel diebus agatur, tunc videndum est, an saltem eorum terminus *a quo* assignatus sit, aut minus. — Si terminus *a quo* assignatus non fuerit, nulla alia via supputandi relinquitur, nisi de momento ad momentum, idest de momento, quo quid praeceptum, actum, pactum fuerit, usque ad momentum, quo expleatur tempus statutum. Et, cum a momento tempus decurrere incipiat, ad momentum etiam finiri debet. At quomodo tunc supputandi sunt menses et anni (hebdomadae enim et dies, cum semper aequales sint, semper etiam eodem modo supputantur)? Distinguendum est: vel tempus statutum continuo supputari debet, vel etiam intermisse seu membratim supputari permittitur. Si primum, non est cur ad mensem aut annum fictitium recurratur, et ideo uterque sumi oportet prout reperi-

tur in calendario; velut, si quis die 15 ianuarii hora 11, suspensus sit per mensem a Missae celebratione, mensis finitur hora 11 diei 15 februarii. Si alterum, idest, si etiam membratim statutum tempus supputare liceat, tunc anno fictitio 365 dierum et mense dierum 30 uti opus est, aliter supputatio fieri nequit: tunc enim calendario uti non possumus. Sit exemplum: annalis duorum mensium vacatio die 24 iunii, hora 12 inchoata est; cumque die 4 iulii eadem hora interrupta sit, post aliquot dies, nempe 15 iulii eadem etiam hora resumitur. Quousque pertinget? Utique usque dum bimestre tempus expletum fuerit. Sed quid tunc bimestre tempus? Quid mensis? Quot diebus constabit? Diebus 30, ut iunius, an potius 31, ut iulius atque augustus mensis? Patet ergo, calendario tunc nos uti non posse, et mensem aut annum fictitium adhiberi oportere.

Quod, si terminus *a quo* assignatus fuerit, tunc alia plane est ratio, annos, menses, hebdomadas, dies supputandi. Et in primis menses et anni, tunc sumendi sunt prout iacent in calendario. Quare? Quia, cum terminus *a quo* assignetur, nulla ratio est fictitie supputandi. Praeterea, terminus *a quo* aut coincidit cum initio diei, aut minus: si coincidat, primus quidem dies computatur; sin minus, non computatur ad explendam numerationem. Et merito: nam in casu coincidentiae, cum de facto primus dies reperiatur in serie, negligi non potest, et tunc consequenter, dies eiusdem numeri (in dierum serie aut mensili aut hebdomadali, vel utcumque consequente et aequali: cfr. comment. huius can. n. 1), qui constitutum tempus claudit, excludi debet a supputatione: aliter enim supputatio statutum tempus excederet; in casu vero non coincidentiae, cum primus dies, solummodo ex parte reperiatur in serie, Legislator, contra praxim romani iuris, tam in favorabilibus quam in odiosis (cfr. Introduc. Tit.), maluit tunc non computari, et proinde, ut statutum spatium temporis, ad normam calendarii integre supputaretur, diem eiusdem numeri, quo tempus expletur, computari praecepit.

Eandemque regulam aptavit et actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, imo etiam supputationi ultimi diei mensis, diei eiusdem numeri carentis, quo ultimo die, his in casibus, ex necessitate tempus finitur.

Can. 35.

Tempus « utile » illud intelligitur, quod pro exercitio aut prosecutione sui iuris ita alicui competit, ut ignoranti aut agere non valenti non currat; « continuum », quod nullam patitur interruptionem.

Canon igitur tractat de continuo et utili tempore.

1. *Tempus utile...* Ait Ulpianus (fr. 1 D. XLIV, 3): *Quia tractatus de utilibus diebus frequens est, videamus quid sit experiundi potestatem*

habere. Et quidem in primis exigendum est, ut sit facultas agendi. Proinde sive apud hostes sit, sive rei publicae causa absit, sive in vinculis sit aut si tempestate in loco aliquo vel in regione detineatur, ut neque experiri neque mandare possit, experiundi potestatem non habet. Adde: *Illud utique neminem fugit, experiundi potestatem non habere eum, qui praetoris copiam non habuit.* Deinde (fr. 2 D. XXXVIII, 15): *Ita autem utile tempus est, ut singuli dies in eo utiles sint, scilicet, ut per singulos dies et scierit et potuerit admittere* (bonorum possessionem): *ceterum, quacumque die nescierit aut non potuerit, nulla dubitatio est, quin dies ei non cedat.... Scientiam autem eam observandam Pomponius ait, non quae cadit in iuris prudentes, sed quam quis aut per se aut per alios adsequi potuit, scilicet consulendo prudentiores, ut diligentiorem patrem familias consulere dignum sit.* Unde aperte constat doctrinam de utili tempore ex iure romano nobis derivasse — *pro exercitio et prosecutione sui iuris...* Suum ius exercere quis dicitur, cum utitur iure suo, velut si Episcopus interceperit consuetudinem, suae potestati praeiudicialem; ius vero suum quis prosequitur, cum contra perturbatorem legitimis actionibus apud iudicem experitur. — *ita alicui competit...* idest tribuitur sive a iure sive ab homine — *ut ignoranti...* ignoranti, nempe, aut tale ius ad se pertinere, aut ius suum perturbari: *in praeiudicialibus enim tempus incipit solum currere a die scientiae* (S. Rota, in *Recentior,* decis. 678 n. 11 part. 19 tom. II). *Quod procedit etiam, quando tempus alicui datur ad aliquid agendum, quo casu illi ignoranti non currit* (ibid. adnot. ad decis. 21 n. 10 part. 3). Ignorantiam vero hic generatim accipimus, quae cadere possit in virum prudentem: quare, si quis quod omnibus perspectum est ignoret, sui iuris amissionem sibi imputare debet (cfr. comment. ad can. 16 n. 2). — *aut agere...* sive per se, sive per alium, nisi obstet natura negotii. Permultae sunt huius verbi significationes. Saepe autem in iure accipitur pro *agere in iudicio,* unde *actor* et *actio.* Cum vero hic tum ad eum referatur, qui ius suum apud iudicem persequitur, tum etiam ad eum, qui suum ius exercet, ampliore significatione accipitur pro *facere.* — *non valenti...* is agere non valet, qui quavis de causa ab agendo omnino prohibetur, et *contra impeditum ad agendum, tempus non currit* (S. Rota, in *Nuperr.* decis. 374 n. 17) — *non currat...* Ea nempe temporis spatia, quibus quis agere prohibetur, non computantur in iure, veluti si Episcopus suae potestati aliquod praeiudicium inferri patiatur, ne maiora mala illabantur — *continuum...* Continuum id dicitur, cuius partes ita toto continentur (*cum-teneo*), ut alia aliam sine intervallo sequatur. Inde Cicero: *continuum triduum*; Horatius: *montes continui*; Plinius: *dentes continui.* Haec et vulgo et iure. — *nullam patitur interruptionem...* neque ex eo, quod membratim supputari liceat, neque ex eo, quod ignoranti aut agere non valenti non currere censeatur: accipitur nempe prout est in rerum natura.

2. Loquitur hic Legislator de *continuo et utili tempore*; can. vero 34 § 2, de tempore *continuo et intermisso*; can. 32 § 1, de horis *continuo* supputandis; can 27 § 1, de quadraginta annis *continuis* et *completis*. Quid igitur?

In primis, natura sua tempus semper est continuum: non enim est aliud nisi motus rerum *secundum prius et posterius* consideratus (cfr. comment. ad can. 32 n. 2), et *prius* et *posterius* nulla intercapedine distant, continui sunt. Verum, pro vitae quotidianae necessitatibus, certa quandoque spatia temporis computari non decet, idque ex aequitate; hinc recepta est in iure doctrina de utili tempore. Scilicet, aliquando ita tempus personis competere censetur, ut tot horis, diebus, mensibus non intelligatur decurrere, quot aut agendum esse nesciverint (cfr. comment. ad can. 16 n. 2), aut, quamvis agendum esse scirent, agere omnino non potuerint, quavis de causa, dummodo non ex dolo. Idque vocatur utile tempus, perinde ac si diceretur tunc tantum currere, cum eo quis uti potest.

Huic autem, quamvis plane diversum, addendum est tempus intermissum, quod etiam aliquando conceditur sive ab homine sive a iure, quodque ita intelligitur, ut liceat pro privatorum arbitrio etiam membratim supputari, veluti tempus vacationum. Tempori igitur continuo, modo intermissum, modo utile tempus, modo utrumque contraponitur. Diversimode tamen: intermissum enim tempus diuturnitate revera non differt a continuo, etsi non totum simul, sed membratim supputetur; contra, utile tempus a continuo revera differt, et habendum est tanquam tempus prorogatum. Cum igitur can. 32 § 1 horae diei continuo dicuntur supputandae, cumque can. 34 § 2 disseritur de tempore continuo et intermisso, tunc continuo, tempus intermissum contraponitur; cum vero can. 27 § 1 quadraginta anni continui et completi statuuntur, continuo contraponitur tum intermissum tum utile tempus.

Tituli materiam resumamus. Placuit igitur Legislatori nostro de supputatione temporis generaliter constituere, ideoque, nisi a iure vel ab homine aliud expresse caveatur, quotiescumque iuridice tempus supputandum est, secundum has regulas supputare debemus (can. 31).

Itaque Legislator in primis decernit de fundamentalibus iuridicae supputationis elementis. Haec sunt: annus, mensis, hebdomada, dies, hora. Annus autem et mensis duplici modo sumi possunt: prout sunt in calendario aut supputatione quadam fictitia; si primum, annus 365 aut 366 diebus constat, prout communis fuerit aut bissextilis, mensis vero diebus, 31, 30, 29 aut 28; si alterum, annus quidem 365, mensis vero diebus 30 iugiter constat (can. 32 § 2). Contra, hebdomada, dies, hora, eadem semper sunt; illa 7 diebus, iste horis 24 a media nocte

continuo supputandis conflatur (ibid. § 1): demum hora iuxta usum loci communem semper supputanda est, sive populus utatur tempore locali (vero aut medio) sive tempore legali (regionali aut extraordinario). Tamen quoad Missam, horas canonicas, sacram communionem, abstinentiam ac ieiunium, electio datur inter varios supputandi modos (can. 33 § 1). Contractuum vero obligationes, nisi aliter pactum fuerit, ad normam iuris civilis omnino urgendae sunt, et ideo huius tituli regulis subtrahuntur (ibid. § 2).

His praemissis, praecipuae regulae traduntur de temporis supputatione. In tempore igitur tria sunt elementa: puncta extrema (idest terminus *a quo* et terminus *ad quem*), et spatium interiectum, idest intervallum a iure vel ab homine statutum. Proinde in tempore statuendo, quatuor casus contingere possunt: 1) quod uterque terminus explicite aut implicite assignetur (ex. c. *a die 24 ianuarii ad 15 februarii* vel *hebdomada Passionis, mense aprili, anno 1921*), et ideo (implicite) etiam interiectum spatium; 2) quod explicite aut implicite assignetur neuter, sed tantummodo temporis duratio; 3) quod explicite aut implicite assignetur tantum terminus *a quo*, una cum temporis duratione: hac enim non assignata (ex. c. *post hunc diem, post diem 20 aprilis, abhinc*), tempus indefinitum prorsus permaneret, ideoque supputari non posset, nisi fortasse ad durationem officii, status, vitae hominis, cui fuerit statutum; 4). denique, quod tantummodo assignetur terminus *ad quem* una cum duratione temporis (ex. c. *exercitia spiritualia per dies octo, qui praecedunt diem natalem Deiparae*, vel *diem 25 decembris*).

Age modo: tempus supputare est tempus demetiri; perfecte autem demetimur, cum ambos eius terminos cognoverimus. Verum, ex quatuor casibus, quos contingere posse diximus, casus potremus et raro incidit et ad primum reducitur, cui implicitus est. In primo autem casu, cum uterque terminus assignetur, tempus supputatione non indiget, sed solummodo animadvertit Legislator, tunc menses et annos, prout in calendario sunt, sumi oportere, si proprio nomine aut aequivalenter designentur (can. 34 § 1). Proinde tota quaestio ad secundum et tertium casum contrahitur.

Itaque si neque explicite neque implicite ullus terminus assignetur, videndum est, an tempus continuum statutum sit vel intermissum: si continuum, iuxta calendarium; si intermissum, menses 30 dierum, anni 365 intelliguntur; utrinque non de die ad diem, sed de momento ad momentum supputatur (ibid. § 2). Si vero terminus *a quo* explicite aut implicite assignetur, tunc videndum est, an cum initio diei coincidat vel minus: si coincidat, computatur quidem primus seriei dies, sed non ultimus, qui eodem numero ac primus distinguitur (ibid. § 3 n. 2); si vero non coincidat, ultimus quidem computatur, sed non primus (ibid. n. 3); utrinque iuxta calendarium (ibid. n. 1). Quod si in calen-

dario, mensis die eiusdem numeri careat, ultimus dies mensis sufficitur (ibid. n. 4).

Denique tempus, quod natura sua semper est continuum, aliquando ita conceditur, ut, quandiu quis sibi agendum esse ignoret aut agere non valeat, non currere censeatur (can. 35).

TITULUS IV.

DE RESCRIPTIS.

Rescriptis ius constituitur, et ideo de iis disserendum erat hoc primo Codicis libro, quo, quemadmodum ius constituatur et pereat, definitur; praeterea, ius, quod rescriptis constituitur, singularibus personis physicis aut moralibus constituitur: proinde de iis post legem atque consuetudinem, quibus ius constituitur generaliter, loquendum erat.

Antiquissimum in Ecclesia habendus est usus rescribendi. Scilicet, cum Ecclesiae Principes supplicibus libellis rogarentur, uti ius controversum definirent vel ut favorem praeter aut contra ius ad tempus vel permanenter concederent, scripto saepe respondebant, et huiusmodi scripta responsio, etsi nondum nomen, reipsa tamen rescripti habebat rationem. Verisimile igitur est, quamvis ex iis, quae ante S. Siricii Pontificatum (a. 384-399) data sunt, rescripta non supersint, iam ab Ecclesiae primordiis, ii sesse usos Principes ecclesiasticos.

Tamen, et hoc iuridicum institutum a iure romano et nomen recepit et expolitiorem formam. Cum nempe, *omne suum imperium et potestatem in principes populus contulisset* (fr. 1 D. I, 4), hi non solum leges ferendo, sed etiam rogantibus rescribendo, ius constituere coeperunt. Idque faciebant triplici ratione: vel enim libello supplici *adnotationem* aut *subscriptionem* apponebant, vel *epistola,* aut serius *pragmatica sanctione* respondebant.

His autem rescriptis, vis legis tribuebatur: *quodcumque* enim, ait Ulpianus (fr. 1 D. I, 4), *imperator per epistolam et subscriptionem statuit, legem esse constat.* Et Iustinianus Aug. (l. 7 Cod. *de div. rescr.* I, 23): *Pragmaticas sanctiones non ad singulorum preces super privatis negotiis proferri, sed, si quando corpus aut schola vel officium vel curia vel civitas vel provincia vel quaedam universitas hominum ob causam publicam fuderit preces, manare decernimus, ut hic etiam veritatis quaestio reservetur.* Unde, *a fortiori,* hisce rescriptis vim legis inesse oportebat.

Sed, quo sensu vim legis? Rescripta aliquando, uti verae leges habebantur, eorumque datio promulgationis locum tenebat, et *epistolae generales* vel *generalia rescripta* vocabantur. Unde Ulpianus (fr. 1 D. XI, 4): *Est etiam generalis epistola Divorum Marci et Commodi, qua*

declaratur etc. Et postea (fr. 3 D. XLVII, 12): *Divus Adrianus rescripto poenam statuit quadraginta aureorum in eos, qui in civitate sepeliunt... Quid tamen si lex municipalis permittat in civitate sepeliri? Post rescripta principalia an ab hoc discessum sit videbimus, quia generalia sunt rescripta et oportet... in omni loco valere.* Et haec est ratio, quare postea huiusmodi rescripta generalia et ipsa vocata sunt *leges, edicta, edictales constitutiones.*

Veruntamen, Principum rescripta rem peculiarem plerumque respiciebant et ideo promulgatione non indigebant; iuri tamen communi innitebantur, idque iterum tacite sanciebant pro peculiari casu et persona et ideo *personalia* dicebantur. Quare Ulpianus (fr. 1 D. I, 4): *Plane ex his* (idest constitutionibus, quibus et rescripta continentur) *quaedam sunt personales nec ad exemplum trahuntur: nam quae princeps alicui ob merita indulsit vel si quam poenam irrogavit, vel si cui sine exemplo subvenit, personam non egreditur.* Quod, si aliquando in eiusmodi rescriptis, expresse allatum esset aliquod iuris communis praescriptum, vel authentica interpretatione plus minusve immutatum, tunc Princeps dicebatur *generaliter* rescripsisse. Hinc Marcianus (fr. 89 D. XXXV, 2): *Divi Severus et Antoninus generaliter rescripserunt Bononio Maximo,* etc. Et Ulpianus (fr. 1 D. XXVI, 4): *Nam generaliter divus Pius rescripsit Aurelio Basso,* etc. Itemque Paulus (fr. 9 D. XXII, 6): *Sed et imperatores Severus et Antoninus in haec verba rescripserunt: « Quod ex causa fideicommissi indebitum datum est, si non per errorem solutum est, repeti non potest ». Et licet municipum mentio in hac epistola fiat, tamen et in qualibet persona idem observabitur. Nam initium constitutionis generale est.* Et ut patet, haec rescripta non debent cum rescriptis generalibus, de quibus supra diximus, permisceri: illis enim ius commune in omnes subditos statuebatur, his singulis applicabatur.

Proinde, iure romano, plerumque rescripta vim legis habebant tantummodo in casu peculiari, pro quo data erant; summa tamen auctoritate pollebant, maxime postquam inserta sunt prioribus collectionibus Iustiniani Aug. At Novellis promulgatis, haud parum haec auctoritas imminuta est.

Instaurata autem Bononiae, Irnerii opera atque Gratiani, iuris utriusque disciplina, cumque, beneficiis ecclesiasticis introductis, eorum saepe collatio Ap. Sedi reservaretur, frequentior factus est, in Ecclesia praesertim, usus rescriptorum. Quare mirum non est, in prima collectione decretalium antiqua Bernardi Papiensis (a. 1189-91) peculiarem titulum « de rescriptis » iam reperiri. Postea, Regulae Cancellariae Ap. a Ioanne Pp. XXII editae sunt, quae paullatim et rescriptorum iuridicum institutum magis magisque perfecerunt.

Contra, a iure civili nostri temporis, veri nominis rescripta prorsus exulasse videntur. Etenim, cum, chartis constitutionibus ubique in-

troductis, cautum fuerit, ne Principum acta sine Ministrorum subsignatione subditos obligarent (1), cumque exinde nihil iam aliud, quam nomen sine re, facta sit Principum auctoritas, quanam ratione loqui possumus de Principis rescripto?

Ex his igitur, quae hucusque diximus, patet in rescripto tria desiderari: quod a Principe detur, quod scripto, quod ad instantiam subditorum. Scilicet dari debet a Principe et quidem qua tali: proinde et ab eo tantum, qui plena fruatur regiminis potestate sive suprema sive subordinata, et de rebus, quae subditos, et ipsos qua tales, respiciant; scripto dari debet: proinde non verbis aut nutibus; demum ad instantiam subditorum, sive supplex libellus a publica porrigatur, sive a privata persona. Est itaque rescriptum: *Principis ecclesiastici scripta responsio.*

Inde rescriptorum partitio. Et in primis, vel Princeps rescripto aliquid concedit praeter vel contra ius commune aut particulare, et rescriptum dicitur *gratiae*: nihil enim contra aut praeter ius ex iustitia debetur; vel urget observantiam iuris, et rescriptum *iustitiae* dicitur; vel simul utrumque facit, et rescriptum tunc *mixtum* vocatur.

Deinde, rescripta gratiae, quae ab Ap. Sede conceduntur, *communiter ab ipsa directo promanant per personas et Officia* (scilicet Romanae Curiae) *iure recognita. Quandoque vero supplex oratoris libellus ad Ordinarium, vel ad alium eius loco ecclesiasticum virum, per personas et Officia memorata remittitur, cum facultatibus petitam gratiam largiendi sive totam sive certis limitibus circumscriptam.* Et tum *eius aequo iudicio rectaeque conscientiae, imploratae gratiae largitio permittitur. Ubi vero ab ipsa Sancta Sede, interposito nemine, gratia impertiatur, exarari rescripta possunt aut forma gratiosa aut commissoria:* si primum, *exsecutorem suapte natura non postulant;* si alterum, *opus habent exsecutore,* cui regulariter non licet *exsecutionem detrectare* (Pius Pp. X, *Ordo servandus*, etc., 29 sept. 1908. *Normae peculiares*, cap. III, art. I, n. 3 et 4). Nimirum, cum rescripto gratia conceditur, id fit vel nullo interiecto executore, et rescriptum dicitur *in forma gratiosa* concessum (2); vel executore interiecto, et rescriptum dicitur concessum *in forma commissoria.* Tum vero executor rescripti vel *voluntarius* vel *necessarius* esse potest: voluntarius

---

(1) Charta constitutionalis Hispaniensis (30 iun. 1870), art. 49: *Nemo Regis iussum exquetur, nisi subsignatum fuerit a Ministro, qui eius ita auctor fit.* — Charta constit. Belgica (7 feb. 1831), art. 64: *Regis nullus actus valet, nisi a Ministro subsignatum fuerit, qui eius hoc ipso auctor fit.* — Charta constit. Graeca (28 nov. 1864), art. 30: *Nullus Regis actus vim habet obligandi nec iussum peragi debet, nisi obsignatum fuerit a Ministro competenti, qui eius hoc modo auctor fit.*

(2) Veluti si rescribatur: *S. Congregatio petitam gratiam oratori benigne impertita est,*

quidem, cum totum negotium (3); necessarius, cum merum ei executionis ministerium committitur (4). Est haec partitio tralaticia: improprie tamen Ordinarius, cuius arbitrio remittitur imploratae gratiae largitio, dicitur executor, cum, quamvis potestate delegata, eius sit gratiam concedere. Rescripta autem iustitiae, uti eorum natura postulat, semper dantur in forma commissoria.

Praeterea, rescriptorum gratiae, alia sunt *generalia* alia *specialia* seu *peculiaria* (cfr. comment. ad can. 48): illa gratiam continent, quae omnes casus eiusdem generis complectitur, veluti privilegium; haec unum aut aliquot casus. Proinde, iure nostro, rescripta generalia non eadem significatione accipiuntur ac iure romano (cfr. Introduct. tituli).

Insuper, quamvis rescripti et natura et nomine, responsio contineatur, et ideo semper praesupponantur preces, rescriptorum tamen alia dicuntur dari *ad instantiam* alia *motu proprio,* prout Princeps vel precibus permotus vel quasi sua sponte rescribit, perinde ac si rogatus non esset. Denique, rescriptum dari potest in forma *Bullae* aut *Brevis* aut simplicis *responsionis,* quae proprie rescripti nomine communiter significatur.

Rescripta vero tum R. P. tum inferiorum Ordinariorum *regio placito* minime indigere, uti executioni mandentur, patet ex natura ecclesiasticae iurisdictionis, ad quam pertinet ius rescribendi. Quapropter Romani Pontifices per Bullas viginti et unam *regium placitum* damnaverunt (cfr. Cavagnis, *Instit. iur. public. eccl.* vol. II libr. 3 cap. I n. 25) atque contrariam opinionem in Syllabum retulerunt. Nihilominus, Ecclesiae bonis usurpatis, in vigore adhuc manet, apud Nationes quasdam, ius *regii placiti* quoad rescripta, quibus beneficia conferuntur. Ita apud nos per r. decr. 25 iunii 1871 n. 320 (5).

Habes igitur in titulo: 1) Quinam possint rescriptum impetrare (can. 36 et 37) — 2) quonam tempore rescripta suos effectus sortiantur (can. 38) — 3) rescripta quomodo vitientur (can. 39-48) — 4) quemadmodum sint interpretanda (can. 49 et 50) — 5) quomodo executioni mandari debeant (can. 51-59) — 6) demum, quomodo cessent (can. 60 et 61).

---

(3) Ex. c.: *S. Congregatio oratoris preces remittit arbitrio et conscientiae Episcopi, cum facultatibus necessariis et opportunis.*

(4) Ex. c.: *S. Congregatio, re diligenter perpensa, benigne annuit ac propterea mandavit committi Episcopo, ut petitam gratiam oratori concedat.*

(5) In quo, inter alia, haec habentur: Art. 4 — *Quousque lege speciali* (de qua in art. 16 et 18 citatae legis 13 maii 1871 n. 214) *aliter caveatur, subiacebunt regio « exequatur » sanctae sedis acta et provisiones, quae respiciunt attributionem bonorum ecclesiasticorum atque collationem beneficiorum maiorum aut minorum, urbis Romae ac sedium suburbicariarum beneficiis exceptis. Quod si provisiones et acta ab ordinariis dioecesanis procedant, regio « placito » subiacebunt.*

Can. 36.

§ 1. *Rescripta tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum impetrari libere possunt ab omnibus qui expresse non prohibentur.*

§ 2. *Gratiae et dispensationes omne genus a Sede Apostolica concessae etiam censura irretitis validae sunt, salvo praescripto can.* 2265 § 2, 2275 n. 3, 2283.

Canon enunciat generale principium de capacitate rescriptum impetrandi: deinde, quinam prohibeantur significat.

1. *Tum Sedis Apostolicae tum aliorum Ordinariorum...* qui nempe Principes ecclesiastici habentur (cfr. Introduct. ad Tit. I): est namque rescriptum Principum ecclesiasticorum responsio. Nomine vero Sedis Apostolicae, veniunt tum R. P. tum Curiae romanae dicasteria (cfr. comment ad can. 7). — *qui expresse non prohibentur...* Scilicet, et in hac materia, *concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur.* Ad rem Wernz (*Ius decret.* tom. I, n. 151): *Obtinere rescripta potest, quicumque est membrum Ecclesiae et subditus legislatoris ecclesiastici rescribentis, sive actor sive reus, mas vel femina, in quacumque causa ecclesiastica, de qua litigari potest, sive temporali sive spirituali, de beneficiis et ecclesiis, et universim de omnibus rebus, quae aut ex officio et « secundum ius » alicui debentur, aut ex gratia concedi possunt et solent; porro, contra quemcumque subditum legislatoris concedentis rescriptum, sive clericum sive laicum, sive maiorem sive minorem.*

Gratiae et dispensationes... (cfr. comment. ad can. 62). — *a Sede Apostolica concessae...* idest non agitur, hac in paragrapho altera canonis, de rescriptis inferiorum Ordinariorum, qui proinde quoties a censura absolvere possunt, possunt etiam, sine mentione censurae, valida rescripta gratiae dare censuratis — *censura irretitis...* idest excommunicatione, suspensione, interdicto — *salvo praescripto* can. 2265 § 2... Quo in canone habetur: *Si haec sententia* (nempe aut incursae excommunicationis declaratoria, aut ad poenam excommunicationis condemnatoria) *lata fuerit, excommunicatus* (etiam vitandus, nam, iuxta can. 2258 § 2, *nemo est vitandus, nisi excommunicatio fuerit publice denuntiata*) *nequit gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat.* — 2275 n. 3... quo cavetur: *Personaliter interdicti praescripto can.* 2265 *etiam ipsi adstringuntur.* — 2283... qui haec statuit: *Quae de excommunicatione can.* 2265 *statuuntur, etiam suspensioni sunt applicanda.* Scilicet, invalidum est rescriptum gratiae ab Ap. Sede concessum censura irretitis, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, nisi in rescripto expressa mentio de eadem

fiat (6). Quoad rescripta vero iustitiae eiusmodi censurati regi videntur praescripto can. 1654, qui ita loquitur: — § 1. *Excommunicatis vitandis aut toleratis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius excommunicationis; per procuratorem, ad aliud quodvis animae suae praeiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur.* — § 2. *Alii excommunicati generatim stare in iudicio queunt.*

2. Rescripta igitur sive R. P. sive aliorum Ordinariorum, possunt libere impetrari ab iis omnibus, qui expresse non prohibentur. Iamvero, per can. 2265 § 2, 2275 n. 3 et 2283, excommunicati omnes, itemque suspensi aut personaliter interdicti, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, nisi in rescripto mentio de censura fiat, *nequeunt ullam gratiam pontificiam valide consequi:* hoc est, Legislator facultatem sibi reservat, censura cognita, gratiam concedendi aut negandi; quod si concedit, censurae mentionem facit in rescripto. Quare rescripta, hisce censuratis concessa sine mentione censurae, irrita sunt.

Queri autem potest:

1) Cur non etiam ante sententiam id contingat: et ratio est, quia ante sententiam inhabilitatio huiusmodi non intelligitur. Et revera, quaevis poena aut ab homine ad normam iuris (*poena ferendae sententiae*), aut iure ipso *poena latae sententiae*) irrogatur. Et primum quidem genus, censuris non exclusis, ante sententiam condemnatoriam nihil est. Alterum vero genus, statim ac delictum est patratum, *delinquentem, qui delicti sibi sit conscius,* utique *ipso facto in utroque foro tenet; ante sententiam tamen declaratoriam ... in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium* (can. 2232 § 1), idest, nisi propter notorietatem, habendum sit tanquam sententia declaratoria definitum. Restat forum internum, quod, cum omnimode voluntarium sit natura sua, inutiliter a Legislatore inhabilitatio, ad eludendam censurae reticentiam, statuta esset.

2) Deinde quaeri potest, cur censurae mentio validum faciat rescriptum. Et ratio est, quia rescribens, cum de censura mentionem facit, significat se, et de eadem notitiam habuisse, et eiusdem effectus, saltem quoad gratiam consequendam, suspendisse.

3) Et exinde patet, cur censurae mentio ad validitatem rescriptorum,

---

(6) Ante constit. Pii Pp. X *Sapienti consilio,* ex iure decretalium, qui maiori excommunicatione essent irretiti, ideoque etiam apostatae a fide, haeretici et schismatici omnes, a rescriptis impetrandis (nisi in causa excommunicationis) expresse prohibebantur, sub poena nullitatis rescriptorum. A die vero 3 novembris 1908, quo die obligare incepit allata constitutio, *gratiae ac dispensationes omne genus, a Sancta Sede concessae etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi de iis agatur, qui nominatim excommunicati sint, aut a Sancta Sede nominatim pariter poena suspensionis «a divinis» multati* (ibid.). Quam disciplinam Codex denuo aliquatenus immutavit.

equiratur tantum in rescriptis Ap. Sedis, non autem inferiorum Ordinariorum; hi namque censuram, a se per sententiam aut declaratam aut irrogatam, non ignorare censentur; quare, si gratiam concesserint censura irretito, id scientes prudentes praesumuntur fecisse, et ideo, quatenus patet eorum absolvendi potestas, aut a censura tacite absolvisse (cfr. can. 2250), aut saltem, ad effectum gratiae concedendae, censuram suspendisse.

Can. 37.

Rescriptum impetrari potest pro alio etiam praeter eius assensum; et licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti, rescriptum tamen valet ante eius acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat.

Legislator hic docet unumquemque posse nedum pro se, sed et pro alio validum rescriptum impetrare.

1. *Rescriptum*.. Uti patet ex contextu, agitur in canone de rescriptis gratiae — *pro alio*... qui nempe iure expresse non prohibeatur — *etiam praeter eius assensum*... idest, non solum cum eius assensu seu procuratorio nomine, sed etiam assensu non requisito seu nomine proprio — *possit gratia*... scilicet, cum haec concessa fuerit in suum duntaxat favorem — *non uti*... idest iuribus, per rescripti concessionem quaesitis, non frui — *rescriptum tamen*... sive cum assensu eius, cui gratia conceditur, impetratum sit, minus — *valet*... nimirum (si omnia contineat, quae sunt ad validitatem necessaria) omnem habet virtutem, quae illi a Principe tributa est. Et haec rescripti virtus non minuitur ex eo, quod praeter assensum impetratum est. — *ante eius acceptationem*... idest ante quamlibet ratihabitionem eius, pro quo impetratum est, rescriptum valet, sicut valet lex ante quamcumque populi acceptationem.

2. Qui igitur iure expresse non prohibentur nedum pro seipsis, verum etiam pro aliis rescripta impetrare possunt, tum procuratorio nomine tum proprio. Neque tunc rescripti robur pendet ab acceptatione eius pro quo impetratum est, nisi haec acceptatio sit a Principe in rescripto ipso expresse requisita. In summa, rescripta pro aliis impetrata, quoad intrinsecam virtutem, ab iis, quae pro seipso quis impetraverit, minime differunt. Et ratio esse videtur, ex specie, quae refertur in fontibus (c. 18 *de praebend. et dignitat.* III, 4 in VI°), quod, quamvis rescriptum impetratum esse ignoretur, ac, si agatur de gratia in suum duntaxat favorem concessa, possit etiam, statim atque cognitum est, ratihabitione negata, a subdito irritari, tamen quidquid roboris est in rescripto, a voluntate optimi Principis rescribentis unice pendet.

Can. 38.

Rescripta quibus gratia conceditur sine interiecto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae; cetera a tempore exsecutionis.

Canon statuit quo tempore rescripta suum effectum sortiantur.

1. *Quibus gratia* ... Igitur prima pars canonis, respicit rescripta gratiae — *sine interiecto exsecutore* ... idest, non omnia rescripta gratiae, sed ea tantum, quae dantur *in forma gratiosa* (cfr. Introduct. Tit.); quod fit, cum Princeps gratiam ipse directe et absolute concedit, quare tunc gratia dicitur etiam *gratia facta* — *effectum habent* ... gratia videlicet fit ius quaesitum — *a momento quo datae sunt litterae* ... Legislator loquitur non de die, sed de momento diei: eodem enim die dari possunt duo rescripta contraria, ambo generalia aut peculiaria, ita ut explorare oporteat (cfr. can. 48 § 3), quodnam eorum prius datum sit. Proprie vero rescriptum tum datur, cum a rescribente subsignatur; dies autem rescripto appositus (qui etiam dicitur *dies datae*) diei, quo subsignatum est, respondere praesumitur — *cetera* ... scilicet omnia alia rescripta, sive sint gratiae *in forma commissoria* concessae (et tunc gratia dicitur etiam *gratia facienda*) sive sint iustitiae, quae natura sua semper executorem requirunt — *a tempore exsecutionis* ... cum, nempe, instrumentum executorium subsignatum est, si rescriptum forum externum respiciat (cfr. can. 56), vel cum substantialiter perfectus est actus executorius, si respiciat forum internum. Et huiusmodi rescripta, de quibus altera haec loquitur pars canonis, dicuntur etiam, quamvis improprie, effectum habere *a die praesentatae* (videlicet literae).

2. Patet ex dictis, rescripta omnia vel sine executore dari vel executore interiecto ,idque significari (cfr. Introduct. Tit. in Notis 2-4) tenore rescripti. Si executor non interfuerit, rescriptum una simul et datur et executioni mandatur a rescribente, unde effectum habet a momento, quo datae sunt literae; si vero, uti saepius contingit, executor interponatur, tunc datur quidem rescriptum, sed executioni non mandatur: unde, quamvis omni sua virtute praeditum sit, eius tamen effectus suspensus manet, donec fuerit executioni mandatum.

3. Quare, executore non interiecto, *gratia facta* statim ius fit oratori quaesitum, quo memo, excepto rescribente, vel rescribentis successore aut Superiore, potest eum iure expoliare, quodque neque rescribentis morte perit, nisi rescriptum datum fuerit cum clausula « ad beneplacitum nostrum » (S. C. Ep. et Regul. in *Amalphitana*, 15 iul. 1740).

Can. 39.

Conditiones in rescriptis tunc tantum essentiales pro eorundem validitate censentur, cum per particulas « si, dummodo » vel aliam eiusdem significationis exprimuntur.

Canon cum novem sequentibus agit de iis, quae requiruntur ad validitatem rescriptorum. Et prius de conditionibus appositis.

1. *Conditiones* ... Conditio — seu factum, ex cuius existentia aut non existentia, actus iuridici validitas pendet — in praesens, praeteritum, futurum concipi potest. Quod si in praesens aut in praeteritum vel etiam in futurum in se certum aut impossibile concipiatur, admodum improprie dicitur conditio: tunc enim factum, ex quo pendet actus validitas, aut certe extat in rerum natura aut extitit aut extabit aut nunquam est extiturum, et ideo, proprie loquendo, conditioni non est locum. Deinde conditio aut suspensiva est aut resolutiva actus: etenim vel statuitur, conditione extante, actus validitatem incipere vel desinere. Et haec trita hic meminisse praestat. — *in rescriptis* ... omnibus, tum gratiae tum iustitiae — *essentiales pro eorundem validitate* ... ita nempe, ut, nisi revera extiterint, invalidum sit rescriptum — « *si, dummodo* » ... videlicet coniunctiones et adverbia natura sua conditionalia.

2. Cum igitur in rescriptis, per huiusmodi particulas, conditiones apponuntur, hae sunt essentiales pro rescripti validitate: tum enim Princeps voluntatem suam preces excipiendi, ab apposita conditione ita pendere significat, ut, nisi haec extiterit, neque preces exauditae intelligantur.

Can. 40.

In omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, conditio: « si preces veritate nitantur », salvo praescripto can. 45, 1054.

Canon docet, omnia rescripta esse essentialiter conditionata veritati precum.

1. « *Si preces veritate nitantur* » ... Tunc autem per se preces veritate nituntur, cum neque verum est reticitum, neque expositum falsum. — *salvo praescripto can. 45* ... quo cavetur, rescriptis, quibus adiicitur clausula *motu proprio*, reticentiam veri non nocere (cfr. comment. ad can. 45) — 1054 ... qui haec habet: *Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit.* Quod perinde est ac dicere, rescriptum dispensationis in hisce matrimonialibus impedimentis validum esse, etiamsi, et verum sit omnino reticitum, et falsum omnino expositum, breviter, etiamsi preces veritate minime nitantur.

2. Quare oporteat preces veritate inniti hinc habes, quod Princeps rescripto aut ius singulare constituit contra vel praeter ius commune aut particulare (rescripta gratiae), aut idem ius definit, si controversum, vel, si violatum sit restituit (rescripta iustitiae). Verum, quemadmodum lex nonnisi *rationabiliter* ferri potest, ita etiam, nonnisi rationabiliter potest a iure statuto discedi, aut ius controversum vel violatum definiri vel restitui: discedere autem Princeps rationabiliter non potest sine causa, quae et adesse debet et non esse futilis; neque potest rationabiliter definire vel restituere, nisi constet, qua de causa ius controvertatur vel quemadmodum sit violatum. Idque ex precibus constare debet: sed constare non potest nisi *preces veritate nitantur*. Haec ratio, quare haec clausula in omnibus rescriptis ita subintelligitur tanquam essentialis, ut *mendax precator carere debeat impetratis* (c. 16 C. XXV q. 2).

Cur excipiatur praescriptum can. 45, v. ibid. Cur vero can. 1054, et quidem ex toto, habes in ordinat. Pii Pp. X, *Ordo servandus* etc., 29 sept. 1908 (*Normae pecul.* cap. VII art. III n. 21): *Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes ex rationabilibus causis a S. Sede probatis ... ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae, sive obreptionis vitio sive subreptionis.* Est autem vetus ius ita emollitum, quia *mutatis rerum temporumque conditionibus* factum erat *ad exequendum difficile* (cfr. *Praefationem* ad Cod.). Sed hac de re, si Deus dederit, amplius in exponendo libro III Codicis.

Can. 41

In rescriptis, quorum nullus est exsecutor, preces veritate nitantur oportet tempore quo rescriptum datum est; in ceteris tempore exsecutionis.

Canon determinat, quo tempore oportet preces veritate nitantur.

1. *Quorum nullus est exsecutor* ... idest, in iis rescriptis gratiae, quae dantur *in forma gratiosa — tempore quo rescriptum datum est* ... eo nempe momento, quo rescriptum est subsignatum (cfr. comment. ad can. 38 n. 1) — *in ceteris* ... hoc est, tum in ceteris rescriptis gratiae, tum in rescriptis iustitiae — *tempore exsecutionis* ... (cfr. comment. ad can. 38 n. 1).

2. Eo momento oportet preces veritate nitantur, quo rescriptum reipsa datur: cum scilicet ea, quae per rescriptum constituuntur, fiunt oratori ius quaesitum vel, si magis libet, cum rescriptum natura sua incipit effectum habere; quare canon est 38 parallelus.

Et quia, cum rescriptum datur sine executore, statim dari et proinde effectum habere intelligitur — non enim tunc *ambigendum videtur, gratiam Pontificis* (aut inferiorum Ordinariorum) *solo eiusdem verbo perfici, quin ulla opus sit scriptura ad rei substantiam, sed ad faciliorem tantum-*

modo concessionis probationem (Card. De Luca, *de pens. disc.* I n. 3) — inde est, quod pro validitate huiusmodi rescriptorum, debent preces veritate inniti eo tempore, quo rescriptum subsignatur.

Contra, quia, cum executor interponitur, Princeps nihil revera dat oratori, sed potius executori voluntario aut necessario facultatem aut mandatum concedendi committit, hinc patet, pro validitate rescripti, veritate preces inniti debere tempore executionis: tunc enim proprie, et non prius, oratori aliquid datur.

3. Unde sequitur, executore interiecto, invalidum esse rescriptum, si preces, quae cum porrigerentur erant verae, postea, circumstantiis mutatis, ante executionem falsae fiant, etiamsi probetur bona fides oratoris: haec namque nihil mutat; et, contra, esse validum, si preces, antea falsae, verae fiant tempore executionis, dum ne id oratoris factum sit fraude vel dolo malo, quae cum nemini debeant suffragari, rescriptum ab origine irritum faciunt. Inde etiam, conditio resolutiva de veritate precum, in rescriptis sine executore, concipitur in praesens; in ceteris, in futurum.

Can. 42

§ 1. *Reticentia veri, seu subreptio, in precibus non obstat quominus rescriptum vim habeat ratumque sit, dummodo expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda.*

§ 2. *Nec obstat expositio falsi, seu obreptio, dummodo vel unica causa proposita vel ex pluribus propositis una saltem motiva vera sit.*

§ 3. *Vitium obreptionis vel subreptionis in una tantum parte rescripti aliam non infirmat, si una simul plures gratiae per rescriptum concedantur.*

Canon docet, quidnam significet, preces in rescriptum relatae, veritate inniti debere, et quonam sensu haec subintellecta conditio sit essentialis.

1. *Subreptio* ... est actus subrependi (a *subtus* et *repo*), et proprie significat *subtus* et clam serpere, significatione quadam negativa; unde Cicero (*pro P. Sextio*, 59); *Emergebat subito, cum sub tabulas subrepserat.* Hinc in iure significavit reticentiam veri. — *quae de stylo Curiae* ... Romanae nempe, cuius unius stylus ius facit, nedum quoad partes in causa, verum etiam quoad curias inferiores. Hic autem stylus admodum est varius pro dicasteriorum, imo et negotiorum varietate: quare, regulas eiusdem praecipuas adnotabimus suis locis (7).

---

(7) Referre tamen praestat, quae de subreptionis vitio ac de stylo Curiae refertur in fontibus.

Et primum quoad omnia rescripta): 1) *In rescripto apostolico subintelligitur clau-*

Obreptio ... est actus obrependi (ab *ob* et *repo*), et proprie significat *contra* et clam serpere, significatione quadam positiva contrarietatis.

---

sula « si preces veritate nitantur ». Et si rescriptum prohibet (executori) *causae cognitionem, est de falsitate suspectum* (c. 2 X *de rescript.* I, 3). — 2) *Exprimens falsum vel tacens verum in rescripto, si malitiose, caret prorsus impetratis. Sed si per simplicitatem vel ignorantiam,* et *suppresso falso* atque *vero expresso obtinuisset saltem literas in forma communi, delegatus* (executor) procedat *servato iuris ordine et non speciali forma rescripti;* secus (idest procedere non debet), *si nullo modo literas habuisset* (c. 20 ibid.). — 3) *Per generalem clausulam « Quidam alii » et « res aliae » multitudo effrenata non includitur, nec personae nec res maiores expressis, sed pares vel minores* (c. 15 ibid.). — 4) *Non valent literae executoriae, in quibus impetrans falso dixit monitorias praecessisse* (c. 37 ibid.).

Deinde quoad rescripta gratiae: 1) *Non valent literae super absolutione voti per cruce signatos impetratae, tacita veritate vel expressa falsitate* (c. 7 X *de fide instrum.* II, 22). — 2) *Literae a clerico concubinario suspenso super absolutione, tacita facti serie obtentae, non valent* (c. 5 X *de cohabit. cleric. et mulier.* III, 2). — 3) *Non valet dispensatio obtenta a Papa super matrimonio inter consanguineos contracto, si ibi causa falsa sit expressa, nisi postea eam Papa confirmet* (c. 6 X *de consanguin. et affinit.* IV, 14). — 4) *Si ille, cum quo super defectu originis* (scil. illegitimae) *in curato beneficio fuerit dispensatum, eo tacito, super pluritate* (scil. beneficiorum) *dispensationem obtineat, non valet dispensatio* (c. 2 *de filiis presbyter. et aliis illegit. natis* I, 11 in VI°). — 5) *Non valet rescriptum ad beneficia, si in eo tacetur dignitas impetrantis* (c. 8 X *de rescript.* I, 3). — 6) Non valet rescriptum ad beneficium impetratum, de beneficio impetrantis non faciens mentionem (c. 17 ibid.). — 7) *Non valet rescriptum super restitutione beneficii impetratum, quod de causa excommunicationis et amotionis impetrantis non facit mentionem* (c. 26 ibid.). — 8) *Non valent literae gratiae ad beneficium obtinendum, in quibus impetrans tacuit perpetuam vicariam* (c. 27 ibid.). — 9) *Si habens literas Papae ad beneficium, eis propter annuam pensionem renunciat, non valent literae beneficiales per eum, hoc tacito, impetratae* (c. 31 ibid.). — 10) *Receptus per literas apostolicas, licet praebendam expectet, per alias literas hoc supprimentes in alia ecclesia recipi non debet* (c. 32 ibid.). — 11) *Si impetrans rescriptum ad beneficium, dixit se non beneficiatum, quum tamen haberet beneficium, licet exiguum, non valet rescriptum* (c. 42 ibid.). — 12) *Habens plures dignitates vel plura beneficia curata, sine dispensatione Papae* (in qua eorum fiat mentio) *ineligibilis est* (c. 54 X *de elect. et electi potest.* I, 6). — 13) *Illegitimus filius sacerdotis, qui, hoc tacito, per rescriptum apostolicum paternam ecclesiam impetravit, removetur ab illa* (c. 2 X *de filiis presbyter. ordin. vel non* I, 17). — 14) *Mutilatus manu, si promotus fuerit in abbatem, et in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab abbatia deponitur* (c. 6 X *de corpore vitiatis promovend. vel non* I, 20). — 15) *Si primus* (per rescriptum) *impetravit primam dignitatem in ecclesia vacaturam, secundus impetravit certam dignitatem ipsius ecclesiae, quum vacaret, et illa postmodum vacat, debetur primo et non secundo* (c. 12 X *de off. iud. deleg.* I, 29). — 16) *Si Papa* (circumventus) *contra* (praecedentem) *pronunciationem suam confert beneficium, hoc* (scil. praecedente contraria pronunciatione) *tacito, subreptitia dicitur collatio et non tenet* (c. 12 X *de sent. et re iudic.* II, 27). — 17) *Non valet confirmatio, quam religiosus impetravit a Papa*

Unde A. Gellius (*Noctes* XVII, 21): *Manlius Gallos in obsidione Capitolii obrepentes per ardua depulerat.* Hinc in iure significavit positivam

---

super temporali administratione seu prioratu, et tacuit se regularem; si vero expressit rescriptum praesumitur falsum, quia Papa non consuevit concedere (c. 5 et 6 X *de confirmat. utili vel inut.* II, 30). — 18) *Non valent literae ad beneficium impetratae, quae de alterius colorata facti possessione non faciunt mentionem* (c. 6 X *de concess. praebend. et eccl. non vacant.* III, 8). — 19) *Per literas apostolicas non facientes de defectu ordinis mentionem potest impetranti de curato beneficio provideri: ad ordines tamen se faciet proximis temporibus promoveri* (c. 8 *de praebend. et dignit.* III, 4 in VI°). — 20) *Taciturnitas* (obtenti) *beneficii, etiam modici, vitiat dispensationem super pluralitate beneficiorum . . . Item provisio alicui facta de beneficio* (non reticito), *non obstante quod aliud habeat, dispensationem super utroque retinendo non inducit* (sed tantummodo facit, ut rescriptum subreptitium non censeatur — c. 21 ibid.). — 21) *nisi constet provisionem facta proprio motu Papae* (c. 23 ibid.). — 22) Non valet rescriptum super pluralitate dignitatum concessum, in quo mentio non fiat de cura animarum cum illis vel altera earum coniuncta, etiamsi apposita fuerit clausula quod animarum cura, si dignitatibus ipsis vel alteri earum coniuncta sit, nullatenus negligatur (c. 1 *de praebend. et dignit.* III, 2 in Clem.). — 23) Non valet rescriptum apostolicum *super absolutione publici delicti, de quo* Ordinarius *inquirere coeperat* aut super *remissione poenae, ad quam criminosus per eum condemnatus fuerit,* per *veri taciturnitatem* obtentum (Conc. Trident. Sess. XIII *de reformat.* c. 5).

Demum quoad rescripta iustitiae: 1) *Si in secundo rescripto per adversarium impetrato non fiat mentio de primo, valet primum et non secundum; alias valet secundum. Item, si primum fuit impetratum communi consensu partium, hoc tacito, non valet secundum impetratum per alteram partem* (c. 3 X *de rescript.* I, 3). — 2) *Qui contra unum super eodem* (negotio) *ad diversos iudices diversa rescripta impetravit et eis utitur, perdit commodum utriusque* (c. 16 ibid.). — 3) *Processus factus per literas subreptitias irritatur: sed factus contra formam rescripti, irritus nunciatur* (c. 22 ibid.). — 4) *Per literas apostolicas de hac constitutione* (idest de can. 37 Conc. Lateran, IV a. 1215) *mentionem non facientes, non potest quis trahi* (scil. ad tribunal ecclesiasticum) *ultra duas diaetas extra suam dioecesim, nisi de consensu partium literae fuerint impetratae* (c. 28 ibid.). — 5) *Si constat Ordinario, quod absolutus a Papa suppressit veram causam, quare fuerat excommunicatus, debet illum remittere ad Papam* (c. 5 X *de offic. iudic. ordin.* I, 31). — 6) Alterum rescriptum iustitiae, in quo quid reticetur dolo malo de iis, quae in primo circa eandem causam exposita fuerant, non valet (c. 2 X *de dolo et contum.* II, 14). — 7) *Lis decidenda est secundum iura existentia tempore controversiae, non autem secundum privilegium impetratum lite pendente, nisi* (rescriptum) *de litis pendentia mentionem faciat* (c. 5 X *ut lite pendente nihil innov.* II, 16). — 8) *Si quis, terminum appellationis praeveniens, tacita veritate literas impetravit, et careat impetratis et poenam contumaciae non evadat* (c. 44 X *de appellat. recusation.* II, 28). — 9) *Si terminum appellationis prosequendae statutum ab homine altera pars praevenit, hoc tacito literas impetrando, literae non valent* (c. 57 ibid). — 10) *Literae confirmationis super sententia, a qua erat appellatum, non valent, si appellatus malitiose praevenit appellantem; alias pendent, donec de appellatione cognoscatur* (c. 3 X *de confirmat. utili vel inut.* II, 30).

expositionem falsi. — *causa*... id est ratio, ob quam rescriptum postulatur — *motiva*... Causa seu ratio petitionis rescripti vel est *motiva* vel *impulsiva*: motiva dicitur, cum tanta est eius vis, ut Principem moveat ad ea, quae ab oratore postulantur, concedenda; impulsiva dicitur, cum inclinat tantum. Patet igitur, tunc solummodo communiter excipi oratoris preces, cum adest saltem una causa vere motiva, et causas impulsivas non sufficere, nisi fortasse propter multitudinem.

2. Quae in canone habentur, profluunt ex natura rescripti: est enim rescriptum *Principis ecclesiastici scripta responsio* (cfr. Introduct. Tit.). Hinc rescripti partes duae: preces ex supplici libello transcriptae, seu pars *expositiva*; et responsio Principis, seu pars *dispositiva*. Rursus, preces tribus partibus constant: specie facti, a qua originem ducit oratoris petitio, cum circumstantiis, quae aut prosunt aut obsunt oratori; rationes seu causae, quapropter orator sive ex gratia (rescripta gratiae) sive ex iure (rescripta iustitiae) petit, ut Princeps sibi subveniat; denique petitio ipsa, quam orator exauditam cupit.

Iamvero, uti Princeps oratoris preces exicipiat, ut nempe eius voluntas ad preces oratoris accedat, sive gratiam concedendo sive ius dicendo, prout oratori est in votis, id faciat oportet, nedum rationabiliter (cfr. comment. ad can. 40 n. 2), sed etiam et praesertim voluntarie, et ideo non ex ignorantia aut errore, sive id contingat ex dolo sive ex imperitia oratoris: non enim dicimur velle id, quod ex errore aut ignorantia volumus. Oportet igitur preces veritate nitantur. Et quia id verum non est, cui aut aliquid veri sit detractum aut additum falsi, hinc invalidum esse oportet rescriptum, in cuius precibus, ex supplici libello desumptis, aut verum reperiatur esse reticitum (subreptio) aut falsum expositum (obreptio); quemadmodum enim subreptio ignorantiam causat, ita errorem obreptio.

Patet autem subreptionem ad facti speciem praesertim pertinere atque ad eas circumstantias, quae oratori obesse videantur, dum, contra, obreptionem ad causas seu rationes, quae maxime prosint oratori. Quocirca Legislator, ex iure positivo ecclesiastico, animadvertit, sufficere expressa sint in facti specie, quae de stylo Curiae requiruntur, quamvis alia omnia fuerint reticita. Et merito: ex specie enim facti unum tantum oportet constare Principi, quid nempe petatur, et gratiam aut iustitiam quaesitam posse concedi, si adsit ratio seu causa sufficiens; idque oportet, ex stylo Curiae, ad rescripti validitatem manifestari.

Quoad vero falsi expositionem, neque haec obstat validitati rescriptorum, dummodo una saltem, ex causis seu rationibus expositis, et vera sit, et motiva ad preces excipiendas. Quid namque tunc refert, alias esse causas excogitatas, quae verae non sunt? *Non* enim *solent, quae abundant, vitiare scripturas* (fr. 94 D. L, 17). Eademque ratione pars vitiata alias non infirmat.

Can. 43.

Gratia ab una Sacra Congregatione vel Officio Romanae Curiae denegata, invalide ab alia Sacra Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine asssensu Sacrae Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo iure S. Poenitentiariae pro foro interno.

Canon, cum quinque subsequentibus, loquitur de iis, quae indiscriminatim in omnibus rescriptis, de stylo Curiae sunt exprimenda.

1. *Gratia* ... agitur de rescriptis gratiae, nam iustitiae rescriptum a nullo Curiae dicasterio negari potest — *etsi potestatem habente* ... sive ex *facultatibus quinquennalibus,* quae Ordinariis locorum tribuuntur, sive extraordinariam — *salvo iure S. Poenitentiariae* ,.. quae gratias concedit unice pro foro interno, et proinde independenter a denegatione alterius dicasterii; alterum enim forum ad alterum ita se habet, ut, quamvis, quae valent in externo foro, persaepe etiam in foro interno valeant, tamen quidquid in hoc agitur, ad illud nullimode pertinet.

2. Ut igitur validum sit rescriptum gratiae, a dicasterio Romanae Curiae prius denegatae, et non ab eodem dicasterio postea impetratae, referat necesse est, assensum dicasterii illius. Ideoque hac de re subreptio, ex stylo Curiae vitiat rescriptum; idque ad impediendas fraudes: etenim, *quum quid una via prohibetur alicui, ad id alia via non debet admitti* (Reg. 84 R. J. in VI°).

Can. 44.

§ 1. *Nemo gratiam a proprio Ordinario denegatam ab alio Ordinario petat nulla facta denegationis mentione; facta autem mentione Ordinarius gratiam ne concedat, nisi habitis a priore Ordinario denegationis rationibus.*

§ 2. *Gratia a Vicario Generali denegata et postea, nulla facta huius denegationis mentione ab Episcopo impetrata, invalida est; gratia autem ab Episcopo denegata nequit valide, etiam facta denegationis mentione, a Vicario Generali, non consentiente Episcopo, impetrari.*

Verba clara. Ratio styli patet et ex iis, quae supra diximus; et ex eo, quod (sicut et dicasteriorum Romanae Curiae) Episcopi et Vicarii generalis unum est tribunal; et ex eo, quod nunquam potest inferior concedere quod Superior negare perrexerit.

CAN. 45.

Cum rescriptis ad preces alicuius impetratis apponitur clausula: « Motu proprio », valent quidem ea, si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur, salvo praescripto can. 1054.

Canon derogat ex parte praescripto can. 45 et 42, excipiens a regula de subreptione vitanda quoad ea, quae de stylo Curiae ad validitatem requiruntur, rescripta *motu proprio* data. Et est unicus canon, qui respiciat huiusmodi rescripta: ceteri pertinent tum ad rescripta *motu proprio* data, tum ad ea, quae dantur *ad instantiam.*

1. *Clausula « Motu proprio » ...* Cum rescripto haec clausula apponitur, perinde esse diximus (cfr. Introduct. Tit.), ac si Princeps non rogatus dedisset, cum et preces oratoris quodammodo suas faciat, et inde proprio motu respondeat — *alioquin necessario exprimenda ...* videlicet, exprimenda de stylo Curiae: etenim, nihil aliud est ad validitatem rescripti necessario exprimendum (cfr. can. 42 § 1) — *causa finalis...* idest causa motiva (cfr. comment. ad can. 42 n. 1) — *salvo praescripto can. 1054* (cfr. comment. ad can. 40 n. 1 et 2).

2. Cum igitur Princeps *motu proprio* rescribit, obreptio rescripto nocet, subreptio non nocet. Quare? *Ratio disparitatis est,* ait Schmalzgrueber, (*Ius eccles. univ.* pars I tit. III, § 2 n. 11), *quia, quando tacetur veritas, pontifex ab illa ad concessionem non movetur; neque sciri potest, an bene informatus de rei veritate, gratiam denegasset: imo, cum ea gratia procedat ex liberalitate principis, potius praesumi potest, quod etiam veritate cognita, adhuc illam concessurus fuisset. E contrario, quando causa falsa exprimitur, satis apparet, quod concessio ex errore processerit: igitur, « cum errantis nullus sit consensus », ut dicitur l.* non idcirco *9 C.* de iur. et fact. ignor., *neque clausula motus proprii firmabit gratiam.*

CAN. 46.

Rescripta etiam « Motu proprio » concessa personae de iure communi inhabili ad consequendam gratiam de qua agitur, itemque edita contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare, vel contra ius alteri iam quaesitum, non sustinentur, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.

Canon determinare pergit, quaenam generaliter de stylo Curiae exprimenda sint ad validitatem rescriptorum. Huic autem canoni Legislator ea etiam rescripta subiicit, quae sunt *motu proprio* data.

1. *Rescripta etiam « Motu proprio » concessa... Etiam:* idest rescripta omnia, tum quae *motu proprio* conceduntur, tum quae conceduntur *ad instantiam — personae de iure communi inhabili...* Persona ecclesiastica,

sive physica sive moralis, duplici modo inhabilis esse potest ad rescripta impetranda: aut *absolute* aut *relative*. Absolute, scilicet ad quodcumque rescriptum, inhabiles sunt personae, de quibus loquuntur can. 2265 § 2, 2275, n. 3, 2282 et 1654 (cfr. comment. ad can. 36 n. 1); relative, scilicet ad quaedam tantum rescripta impetranda, inhabiles sunt personae, quas ius commune prohibet quaedam valide consequi (cfr. comment. ad can. 11 n. 1), veluti clericum plura simul beneficia incompatibilia (cfr. can. 1439 § 1) — *ad consequendam gratiam de qua agitur...* scilicet in rescripto. Haec igitur prima pars canonis ad rescripta gratiae pertinet, nam ad rescripta iustitiae non datur inhabilitas, cum ius cuique licitum sit experiri — *itemque edita...* idest rescripta omnia, sive gratiae sive iustitiae — *alicuius loci...* veluti dioecesis, provinciae ecclesiasticae, Nationis — *legitimam consuetudinem...* idest non facti sed iuris (cfr. comment. ad can. 24-28) — *statutum peculiare...* quodcumque, dummodo habeat vim legis, ut sunt statuta seu leges Concilii plenarii, aut provincialis, leges episcopales sive in Synodo sive extra Synodum latae, itemque cetera statuta, quae per Ordinarii approbationem vim legis consecuta sint — *ius alteri quaesitum...* per indultum, privilegium, dispensationem, gratiam quamlibet aut etiam per contractum, pactum, praescriptionem, testamentum vel quodcumque factum iuridicum — *non sustinentur...* idest effectu carent — *expressa derogatoria clausula...* qua, nempe, aut (cum fieri potest et solet) iuri communi, inhabilitatem statuenti, vel iuri particulari contrario per Principem competentem derogatur, aut etiam (quod profecto est difficilius et communiter non fit, nisi propter utilitatem publicam) qua per voluntatem Principis derogatur iuri, alteri iam quaesito. Et clausula non subintelligitur, sed expressa esse debet.

2. Quae omnia natura ipsa rerum expostulabat, ad reticentias eludendas, ut in quolibet rescripto, etiam *motu proprio* concesso, apparerent. Agitur enim de circumstantiis, quae, aut, quia ad statum vel ius quaesitum personarum pertinent, quemcumque legislatorem latere possunt, aut quae, cum ad ius particulare spectent, a R. P. fere semper ignorari praesumuntur. Quare, ne rescriptum propter subreptionis vitium inutile evadat, in precibus haec omnia oportet Principi aperiri.

Can. 47.

Rescripta non fiunt irrita ob errorem in nomine personae cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio.

Canon docet etiam errorem in nominibus vitiare posse substantiam rescriptorum.

1. *In nomine...* scilicet in nomine, cognomine, titulo aut generatim ea, quae ad distinguendam personam ecclesiasticam, sive physicam sive

moralem, iuxta morem Nationis, regionis, loci aut peculiaria statuta requiruntur — *iudicio Ordinarii...* qui nempe iurisdictionem exercet vel in personam, cui rescriptum conceditur, vel in locum, ubi eadem persona reperitur. Et Ordinario (cfr. Introduct. ad Tit. I) tota quaestio definienda relinquitur. — *nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio* ... idest, si omnibus circumstantiis consideratis, ex iis qui rescripto continentur, iudicio Ordinarii certe argui possit, quae sit persona, quae res, quisve locus.

2. Legislator, pro more iuris nostri, res pluris facit quam nomina. Unde, si ex circumstantiis et rescripti verbis pateat, nullam esse de rebus dubitationem, errorem in nomine non curat: aliter rescriptum irritum est.

Quoad alia vero formae extrinsecae vitia, quae generaliter de stylo Curiae occurrere possunt in rescriptis, *vitiosum*, ait Sebastianelli (*Praelect. iur. can.* tom. I n. 73), *censetur rescriptum, si omissum sit in eodem nomen Pontificis; rasura aut cancellatura reperiatur in parte substantiali seu dispositiva rescripti; vel vitium aut fractura habeatur in sigillo. Vitiosa pariter est litera pontificia, in qua reperitur error crassus contra grammaticam* (c. 11 X *de rescr.* I, 3): *inverosimile enim est, ut ex multis Romanae Curiae officialibus, per quorum manus transit rescriptum Pontificis, nullus videat patentem simulque gravem latinitatis errorem, aut si videat, ipsum relinquat incorrectum. Haec aliaque vitia a pragmaticis adnotata ingerunt suspicionem de veritate rescripti ex praesumptione iuris. Proinde, si constet, non obstantibus vitiis supra enumeratis, de veritate literarum, praesumptio cedere debet veritati, et valet principium: « Veritas rerum, erroribus gestorum non vitiatur ».*

3. In eos autem, qui quoad rescripta crimen falsi patraverint, Codex ita animadvertit: *Omnes fabricatores vel falsarii rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem scienter utentes, incurrunt ipso facto in excommunicationem speciali modo Sedi Apostolicae reservatam* (can. 2360 § 1).

Clerici idem *delictum committentes aliis poenis praeterea coerceantur, quae usque ad privationem beneficii, officii, dignitatis et pensionis ecclesiasticae extendi possunt; religiosi autem priventur omnibus officiis quae in religione habent et voce activa ac passiva, praeter alias poenas in propriis cuiusque constitutionibus statutas* (ibid. § 2).

Praeterea: *Si quis in precibus ad rescriptum a Sede Apostolica vel a loci Ordinario impetrandum fraude vel dolo verum reticuerit aut falsum exposuerit, potest a suo Ordinario pro culpae gravitate puniri, salvo praescripto can. 45, 1054* (can. 2361).

Insuper: *Litterarum vel actorum ecclesiasticorum* (in quibus sunt et rescripta Ordinariorum R. P. inferiorum) *tam publicorum quam privatorum fabricatores vel falsarii vel huiusmodi documentis scienter utentes, pro gravitate delicti coerceantur, firmo praescripto can. 2406 § 1* (can. 2362).

Cuius quidem canonis hoc est praescriptum: *Quicumque officio tenetur acta vel documenta* (in quibus rescripta) *Curiarum ecclesiasticarum conficiendi, conscribendi aut conservandi, si ea falsare praesumpserit, suo officio privetur aliisve gravibus poenis ab Ordinario pro modo culpae puniatur* (can. 2406 § 1).

Can. 48.

§ 1. *Si contingat ut de una eademque re duo rescripta inter se contraria impetrentur, peculiare, in iis quae peculiariter exprimuntur, praevalet generali.*

§ 2. *Si sint aeque peculiaria aut generalia, prius tempore praevalet posteriori, nisi in altero fiat expressa mentio de priore aut nisi prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit.*

§ 3. *Quod si eodem die fuerint concessa nec liqueat uter prior impetraverit, utrumque irritum est, et, si res ferat, rursus ad eum qui rescripta dedit, est recurrendum.*

Canon declarat quidnam, de stylo Curiae, sentiendum sit de duobus rescriptis inter se contrariis, quae de una eademque re fuerint impetrata.

1. *De una eademque re...* idest specie facti seu generatim de uno eodemque obiecto — *inter se contraria...* Tunc duo rescripta gratiae inter se contraria sunt, cum altero sine alterius praeiudicio uti non possumus. Et exinde agitur de rescriptis, quibus quis uti possit, quaeque, si executor fuerit interpositus, legitime iam sint executioni mandata (cfr. comment. ad can. 37 n. 1). — *impetrentur...* ab uno, nempe, eodemque legislatore: nam si plures fuerint, inferior rescribens, ceteris paribus, Superiori cedat necesse est; vix autem casus continget, quo de eadem re duo rescripta impetrentur inter se contraria a duobus legislatoribus, quorum (puta duorum Episcoporum) in subditos potestas sit aequalis: nam communis duorum in eundem locum et aequalis iurisdictio, ratione cuius de eadem re, eademque mihi atque tibi gratia concedatur, res est admodum difficilis. — *peculiare...* hoc est quod peculiariter seu pro peculiari casu constituit — *in iis, quae peculiariter exprimuntur...* quae scilicet in parte dispositiva rescripti peculiaris decernuntur pro casu. Quod si in rescripto peculiari aliquid generaliter exprimatur, id iure rescripti generalis censetur. — *praevalet generali...* Generale, uti supra diximus (cfr. Introduct. Tit.), habetur rescriptum, quod gratiam continet, quae omnes casus eiusdem generis complectitur; veluti, si mihi concessum fuerit ius decimarum quoad fundos dioecesis universae, tibi vero privilegium de decimis non solvendis: quo in casu duorum rescriptorum, aliud peculiare est, aliud generale. Huic

ergo, in iis quae peculiaria sunt, praevalet peculiare: in aliis vero generale rescriptum a peculiari non tangitur.

Prius tempore... Patet ex contextu canonis tempus hic a *die datae* (cfr. comment. ad can. 38 n. 1) esse dimetiendum, etiamsi executor fuerit voluntarius: agitur namque de rescriptis duobus, quae de una eademque re *impetrentur*, et a personis, quarum non liqueat utra prior *impetraverit*: quae verba absque dubio, sicut et totius canonis contextus, diem significant, quo eadem rescripta subsignata sunt. Neque praetereundus est can. 206, in quo etiam de rescriptis *in forma commissoria* concessis haec habentur: *Pluribus successive delegatis, ille negotium expedire debet, cuius mandatum anterius est nec posteriore rescripto expresse abrogatum fuit.* Ideoque collisio locum habere potest nedum inter duo rescripta *in forma gratiosa* vel *commissoria* ambo impetrata (cfr. Introduct. Tit.), verum etiam inter duo, quorum alterum in forma gratiosa alterum commissoria datum fuerit: et semper tempus dimetiendum est *a die datae.* — *nisi... dolo...* Aliqua re dolo non utimur, cum scientes prudentes id facimus voluntate decipiendi. — *vel notabili negligentia...* ideoque culpabili et quidem culpa gravi (cfr. comment. ad can. 16 n. 1). Num vero adsit necne negligentia notabilis, arbitrio boni viri, idest Superioris vel iudicis ecclesiastici statuendum est (cfr. Reiffenstuel, *Ius canon. univ.* libr. I tit. 3 n. 66). — *usus non fuerit...* (cfr. comment. ad can. 37 n. 1) — *uter prior impetraverit...* quo nempe momento diei subsignata fuerint rescripta — *si res ferat...* videlicet si res, de qua agitur, patiatur vel si adhuc necessarium videatur aut apportunum.

2. Contingere de facto posse, ut de una eademque re rescripta plura, etiam generalia, et inter se contraria impetrentur, praesertim ab Ap. Sede, propter dicasteriorum multitudinem ac molem varietatemque negotiorum, non est qui non videat. Quare Alexander Pp. III, Archiepiscopo Cantuariensi rescribens, fatebatur: *Si taliter scripsimus, hoc ex nimia occupatione contigit* (c. 2 X *de rescript.* I, 3).

Extantibus igitur de una eademque re duobus rescriptis inter se contrariis, haec contingere possunt: 1) vel rescripta sunt paria, idest ambo generalia aut peculiaria, vel imparia, idest alterum generale alterum peculiare; 2) vel diversis diebus (et dies semper constat, quia rescripto appositus) data sunt vel eodem die; si eodem die, vel non constat quo momento sint data vel constat; quod si constet, vel de uno constat vel de utroque; demum si de utroque, vel eodem momento temporis ambo data esse constat vel non eodem. Et haec omnia singillatim sunt expendenda.

1) Itaque, si duorum rescriptorum inter se pugnantium, alterum generale sit, alterum vero peculiare, quocumque tempore sint data, peculiare, in iis quae continet qua tale (nempe quae peculiariter exprimuntur), praevalet generali: *generi* namque *per speciem derogatur* (R. 34 R. J.

in VI°), idest peculiare, etiamsi generali praecesserit, habetur tanquam exceptio a Principe inducta quoad generale rescriptum.

Si, contra, ambo rescripta generalia sint aut peculiaria, tunc, ut auferatur contradictio, necessario videndum est, quo tempore impetrata fuerint: *qui* enim *prior est tempore, potior est iure* (R. 54 R. J. in VI°), nam, nisi in secundo rescripto mentio fiat de priore, huius esse oblitus Princeps censetur. Tamen, si prior impetrator dolo vel notabili negligentia suo rescripto usus non fuerit, secundum rescriptum valebit, quia *fraus et dolus nemini suffragari debent.*

Prius igitur dies rescriptis appositus est considerandus. Si diversis diebus impetrata fuerint, vincit, qui prior impetraverit. Si vero eadem die impetrata sint rescripta, tunc ad momentum temporis, quo sunt subsignata, recurrendum est. Quod si (uti plerumque evenire solet) non constet, vel constet de altero tantum, irritum est utrumque rescriptum: non enim alia via superest ad quaestionem dirimendam, cum comparatio instituì non possit. Si denique momentum temporis constet de utroque rescripto, iisdem rationibus quas attulimus, si momentum non sit idem, prius rescriptum valet; si idem sit, ambo sunt irrita.

Can. 49.

Rescripta intelligenda sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad casus alios praeter expressos extendi.

Canon, cum sequenti, est de interpretatione rescriptorum. Et primum eorum, quorum verba habent significationem certam.

1. *Rescripta* ... omnia sive sint gratiae sive iustitiae, sive generalia sive peculiaria — *secundum propriam verborum significationem* ... hoc est, verba sensu proprio sunt accipienda (cfr. comment. ad can. 18 n. 1) — *et communem loquendi usum* ... communem nempe, idest familiarem, Principi rescribenti. Sensus igitur verborum, potius quam in se, in communi usu loquendi ac in subiecta materia considerari debet, ac proprius ille sensus censendus est, quo Princeps, tamquam proprio, communiter utitur. Ita ex. c. vox *beneficium*, in seipsa considerata, proprie significat actum, quo quis bene facit, vel etiam huius actus effectus, et hac significatione dicimus privilegium esse beneficium Principis; usu tamen communi in iure nostro, proprie etiam significat *ens iuridicum in perpetuum constitutum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos.* In quibus omnibus, praxis magis quam doctrina valet. — *ad casus alios* ... Rescripto generali de omnibus cuiusdam generis casibus Princeps decernit, rescripto peculiari de uno aut de quibusdam; si primum, ad casus existentes extra genus; si alterum, ad

existentes extra illum vel illos quosdam casus, extendi non debet tenor rescripti. — *praeter expressos* ... idest in rescripto ipso — *extendi* ... Scilicet negat legislator, rescripti tenorem applicari posse iis casibus, rebus, personis, qui expressis sunt similes, idest, interpretationem analogicam adhiberi (cfr. comment. ad can. 20 n. 1).

2. Idcirco, cum certa est significatio verborum, itemque certus numerus casuum, qui in rescripto exprimitur, verbis omnino standum est et legislator censendus neque plus neque minus voluisse, quam quod verbis significaverit: quod per se patet. Sed neque tum potest, per interpretationem analogicam, tenor rescripti ad casus, personas ac res extendi in eo non expressa, uti saepe fit in legibus interpretandis (cfr. comment. ad can. 20); nam huiusmodi interpretatio tunc tantum et in legibus admittitur, *cum deest expressum praescriptum legis*: cum enim lex generaliter semper constituat, natura sua non potest omnibus et singulis casibus subvenire. Quod quidem difficilius contingit in rescriptis, quae singularibus personis physicis aut moralibus semper conceduntur.

Can. 50.

In dubio, rescripta quae ad lites referuntur, vel iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, vel denique impetrata fuerunt ad beneficii ecclesiastici assecutionem, strictam interpretationem recipiunt; cetera omnia latam.

Canon loquitur de interpretatione rescriptorum, quorum verba aut casus expressi certa non sunt.

1° *In dubio* ... videlicet positivo (cfr. comment. ad can. 15 n. 1); et verbum refertur ad ea omnia, quae in canone praecedenti habentur, idest tum ad verborum significationem, tum ad casus expressos in rescripto. Quacumque igitur de causa mens haereat anceps, sive circa significationem, ex communi usu loquendi, rescripti verbis tribuenda, sive circa eiusdem rescripti extensionem, hic canon succurrit. — *quae ad lites referuntur* ... quae fere semper sunt secundum ius et rescriptis iustitiae adnumerantur — *vel* ... idest rescripta, de quibus statim canon loquitur, quaeque fere semper sunt praeter vel contra ius commune aut particulare, et adnumerantur rescriptis gratiae — *aliis quaesita* ... quocumque legitimo modo (cfr. comment. ad can. 46 n. 1) — *adversantur legi in commodum privatorum* ... quae nempe continent favorem contra ius, uti semper est dispensatio, saepe vero privilegium — *strictam interpretationem* ... idest inter significationes plus minusve proprias, quae ex communi usu loquendi tribui possunt verbis rescripti, attribui debet significatio, per quam minus conceditur; itemque inter casus, personas atque res, ad quae tenor rescripti iuxta verborum significationem pos-

set extendi, ii tantum sunt admittendi, ad quae non extendi non posset. — *cetera omnia* ... idest alia rescripta, de quibus hic canon non loquitur sive iustitiae sint, sive gratiae — *latam* ... videlicet inter plus minusve proprias significationes, quae ex communi usu loquendi verbis rescripti tribui possunt, ea est attribuenda significatio, per quam plus conceditur; eodemque modo casus, res ac personas, ad quae, iuxta significationem verborum, extendi posset tenor rescripti, omnia admittenda sunt.

2. In rescriptis ad lites, uni ex partibus in praeiudicium alterius favetur, itemque in rescriptis, quae iura quaesita laedunt; rescripta vero, quae adversantur legi in commodum privatorum, a lege recedunt et exceptionem inducunt contra ius, cui omnes parent: haec autem omnia sunt odiosa et *odia restringi convenit* (R. 15 R. J. in VI°). Demum quoad rescripta ad beneficii ecclesiastici assecutionem, *quamvis plenissima sit alias in beneficiis interpretatio facienda: literae tamen super obtinendis beneficiis impetratae, debent, quum sint ambitiosae, restringi* (c. 4 *de praeb. et dignit.* III, 4 in VI°).

Contra, alia rescripta, cum neque *ambitiosa* esse praesumantur, nec quemquam laedant, cum uni prosint alteri vero non noceant, sunt profecto amplianda: *favores convenit ampliari* (R. 15 R. J. in VI°). Et in his consistere videtur canonis ratio.

Can. 51.

Rescriptum Sedis Apostolicae in quo nullus datur exsecutor, tunc tantum debet Ordinario impetrantis praesentari, cum id in eisdem litteris praecipitur aut de rebus agitur publicis, aut comprobare conditiones quasdam oportet.

Canon, cum octo qui sequuntur, agit de executione rescriptorum. Et prius de rescriptis, quae, quamvis executionem non requirant, nihilominus debent praesentari.

1. *Sedis Apostolicae* ... Agitur in canone de rescriptis Ap. Sedis tantum; contra in canonibus, qui sequuntur, de omnibus rescriptis — *in quo nullus datur exsecutor* ... idest rescriptum *gratiae factae* seu *in forma gratiosa* concessae (cfr. Introduct. Tit.) — *tunc tantum* ... scilicet in casibus taxative statutis in canone — *debet* ... Ad validitatem, necne? Canon legem praeceptivam non irritantem continet, ideoque (cfr. can. 11) ex canone nulla irritatio. Quare rescriptum respiciendum est, quo si praesentatio requiratur ut conditio essentialis ad validitatem (cfr. can. 39), haec necessario impleri debet. — *Ordinario* ... qui quidem literas *suo recognitionis rescripto corroboret, si de rebus agitur publicis*, etc. (Pius Pp. X, *Ordo servandus*, etc., 29 sept. 1908. *Normae pecul.* cap. III

art. I n. 4) — *de rebus agitur publicis*... Iure civili eae res publicae sunt, quae, ut ait Gaius (*Instit.* II, 11), *universitatis esse credundur;* iure autem nostro eae res publicae esse videntur, quae ad bonum universitatis seu populi directe spectant; privatae vero, quae, directe, ad bonum singulorum: ita ex. c. ecclesiae, coemeteria, seminaria, beneficia, sacri ritus, indulgentiae etc. res publicae sunt; contra ex. c. familiare sacellum, votum a nullo Superiore ecclesiastico acceptatum, preces, quas proprio nomine quis recitaverit, res sunt privatae. Quare, cum esset quaesitum: *Utrum qui obtinet diversas facultates ab Apostolica Sede, scilicet altaris privilegiati personalis, erigendi stationes « Viae Crucis », etc., debeat exhibere dictas facultates Ordinario, etiamsi nulla mentio facta sit in concessionum rescriptis*: S. Congregatio Indulgentiarum, 5 febr. 1841, respondit: *Affirmative quoad « Viae Crucis » erectionem, negative quoad alias facultates, nisi aliter dispositum in obtentis concessionibus.* — *conditiones quasdam*... Rescriptis interdum, uti supra dictum est (cfr. can. 39), conditiones apponuntur, aut pro eorum validitate essentiales aut non essentiales; saepe etiam iure statuuntur. Has igitur conditiones, ex. c. loci decorem in privato sacello, extare aut extitisse orator probare debet.

2. Rescriptum praesentari oportere, cum id a rescribente praecipitur planum est; itemque, cum conditiones quaedam sunt ex iure probandae: cui autem hae conditiones probentur, nullo interiecto executore delegato, non est, nisi Ordinarius. Cum vero agitur de rebus publicis, ex eo rescriptum Ordinario praesentari oportet, quod res publicae publice intersunt, et ideo Principem, cui est publicum bonum concreditum, latere non debent.

CAN. 52.

Rescripta, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus.

Legislator agere incipit de rescriptis, quae executionem requirunt: et in primis docet quo tempore sint executori exhibenda.

1. *Rescripta*... omnia tum iustitiae, tum gratiae, quae data non fuerint *in forma gratiosa* — *nullum est definitum tempus*... neque ab homine, neque a iure — *modo absit fraus et dolus*... hoc est modo id non fiat ad executorem aut adversarium circumveniendum. Quod tum contingit, cum quis ideo praesentationem procrastinaverit, uti preces, quas sciebat nequaquam veritate inniti, mutatis circumstantiis verae fierent; vel ut ius alterius, contra quod rescriptum impetraverat, obstare desineret; vel ut ex inhabili habilis fieret, vel ad adversarium decipiendum aut defatigandum. *Et posita externa legis violatione, dolus in foro externo praesumitur, donec contrarium probetur* (can. 2200 § 2).

2. Quorum ratio in hoc consistit, quod, nisi obstet voluntas rescribentis aut materiae natura, rescripta, sicut et leges, tempore non circumscribuntur; idque sive iustitiae sint, quippe quae et iuri existenti conformia et quibus novum ius, postea fortasse introductum, praeiudicium communiter non afferat; sive sint gratiae, cum *deceat concessum a Principe beneficium esse mansurum* (R. 16 R. J. in VI°).

Si vero praesentatio per dolum fuerit procrastinata, tum a momento, quo dolus est adhibitus, cessat validitas rescripti, ita ut, si forte de eadem re aliud fuerit post primum impetratum, hoc valeat (can. 48 § 2): nunquam enim fraus et dolus cuiquam patrocinari debent.

Can. 53.

Rescripti exsecutor invalide munere suo fungitur, antequam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earundem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa.

Canon docet quandonam executoris munus incipiat; deinde, cum canone sequenti, quaenam executioni sint praemittenda.

1. *Rescripti...* idest in forma commissoria dati — *exsecutor... Executores rescriptorum,* ait Wernz *(Ius decret. t.* I n. 155), *quae iurisdictionem in foro externo requirunt, sunt personae in ecclesiastica dignitate constitutae, veluti Episcopi* (et qui Episcopis aequiparantur — cfr. Introduct. ad Tit. I), *Vicarii generales, Praelati regulares* (scil. maiores — cfr. can. 488 n. 8) *dignitates, personatus, canonici ecclesiarum cathedralium... Quod si iurisdictio in foro externo non requiritur, executio rescriptorum committi solet doctoribus sacrae theologiae vel sacrorum canonum vel confessariis... vel personis ecclesiasticis alias idoneis.* Haec de rescriptis Ap. Sedis. Quoad rescripta inferiorum legislatorum, generalis consuetudo non extat. — *munere suo fungitur...* rescriptum scilicet executioni mandat — *invalide...* idest, si fecerit, nihil fecisse censetur — *litteras...* hoc est rescriptum vel utcumque literas eiusdem executoriales — *receperit...* ab oratore rescriptum praesentanti aut a rescribente. Scilicet contingere potest, ut orator certior factus, ex. c. telegraphi aut telephoni ope, suas preces exceptas fuisse, et rescripti executionem cuidam fuisse commissam, instet, ut Principis placitum confestim executioni mandetur: vel etiam evenire potest, ut eodem modo notitia concessi rescripti ad executorem transmittatur (8) — *authenticitatem et integritatem recognoverit...* idest nihil eorum desiderari, quae ad formam externam

(8) S. Poenitent. Ap. 15 ian. 1894: *È noto che per disposizione del diritto* (Cap. 12 *De appellationibus;* Conc. Trid. Sess. XXII Cap. V *de Reformat.*) *l'Ordinario diocesano non ha giurisdizione alcuna ad eseguire i Brevi Apostolici di dispensa*

rescripti substantialiter pertinent (cfr. comment. ad can. 47 n. 2). Est autem rescriptum summarie et extraiudicialiter recognoscendum. — *earundem notitia* ... videlicet totius substantiae rescripti, nam secus executor rite fungi nequit munere suo — *ad eum* ... Potest, nempe, nonnihil periculi esse in mora, quare executor oporteat quam celerrime certior fieri, exceptas fuisse preces oratoris. Id autem fieri etiam posse telegraphi aut telephoni ope, non est dubium, dummodo quocumque modo praecludatur via fraudibus (9). Tum vero patet, notitiam non ad oratorem aut alium, sed ad executorem esse transmittendam — *auctoritate rescribentis* ... idest, non privatorum cura notitia transmitti debet, sed rescribentis iussu atque ita, ut aperte constet, id eius auctoritate esse factum.

2. Executor igitur antequam literas aut earundem authenticam notitiam rec eperit, invalide agit. Quare? Quia profecto invalide agit delegatus, antequam sit ei traditum mandatum, sicut etiam postquam hoc fuerit revocatum. Quemadmodum autem revocatio, ita et traditio mandati debet a delegante authentice significari. Significatur vero per rescriptum ipsum aut eiusdem authenticam notitiam. Et necessario delegandum est mandatum ad executionem rescriptorum: aut enim rescriptum est contra ius, cui a se condito, nonnisi Principi rescribenti licet derogare; aut est praeter vel secundum ius, et tunc etiam ad eum res pertinet, cui sit a iure reservatum.

CAN. 54.

§ 1. *Si in rescripto committatur merum exsecutionis ministerium, exsecutio rescripti denegari non potest, nisi aut manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis aut obreptionis nullum esse, aut in rescripto apponantur conditiones quas exsecutori constet non esse impletas, aut qui rescriptum impetravit adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum*

---

matrimoniale, prima che gli sia presentato il documento originale. Ciò posto il Vescovo di N. e T. umilmente prega favorirgli la risposta a' seguenti quesiti:

1) *Questa canonica disposizione si applica anche a quelle dispense matrimoniali, delle quali, appena concesse, dà partecipazione all'Ordinario il proprio spedizioniere apostolico residente in Roma?*

2) *Che è da farsi se l'attuale Vescovo scopre che alcuni matrimoni, per cause urgentissime, furono contratti dopo la partecipazione dello spedizioniere e prima che la Curia avesse il Breve originale, mentre le parti sono in buona fede?*

Resp. *Ad I: affirmative — Ad II: opus esse nova dispensationum executione.*

(9) Ad rem S. Congr. S. Officii, 24 aug. 1892. — *Se sia valida una dispensa matrimoniale eseguita dall'Ordinario dietro l'avviso telegrafico, prima di avere ricevuto il documento autentico della grazia concessa.* — Resp. *Negative, nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis.*

offensioni futura sit gratiae concessio; quod ultimum si accidat, exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re certiorem faciat rescribentem.

§ 2. *Quod si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur, ipsius est pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare.*

Receptis literis vel earundem authentica notitia, ac proinde ad eas exequendas habito mandato, ex hoc canone, antequam ad executionem rescripti gratiae procedat, perpendendum est executori, num sibi commissum sit nudum ministerium, vel potius suo arbitrio concredita sit gratiae concessio: non enim eadem est in utroque casu natura mandati.

1. *Merum exsecutionis ministerium* ... Uti supra diximus (cfr. Introduct. Tit.) evenire potest, ut executionis rescripti nihil arbitrio executoris committatur, eiusque mandatum in executione placiti principalis unice consistat; et tum dicitur nulla iurisdictio delegari, sed merum executionis ministerium: scilicet executorem esse necessarium. — *manifeste* ... et ideo non sufficit dubium, quamvis positivum, de invaliditate rescripti — *vitio subreptionis aut obreptionis nullum esse* ... (cfr. comment. ad can. 42) — *apponantur conditiones*... videlicet essentiales pro rescripti validitate (cfr. can. 39), nam non impletio conditionis accidentalis, sicut non tollit validitatem rescripti, ita neque impedire videtur, quominus mandetur executioni — *iudicio exsecutoris* ... quare hac in re nihili faciendum est iudicium aliorum. Executor tamen, ut statim videbimus, non cerebrinis lucubrationibus, sed factis moveri oportet. — *videatur indignus* ... propter abiectos mores, delictum, bonae famae ammissionem etc., dummodo publica sit indignitas oratoris: aliter enim aliorum offensioni esse non potest — *ut aliorum offensioni* ... nempe virorum bonorum atque prudentium, qui suspecti non sint, neque partes in causa — *gratiae concessio* ... Canon loquitur de executione rescriptorum *gratiae faciendae*, ut facile patet ex iis, quae in contextu habentur, quaeque cum iustitiae rescriptis componi non possunt: non enim cum de hisce agitur, loqui possumus de aliorum offensione aut de conditionibus implendis. — *quod ultimum si accidat* ... uti nempe gratiae concessio aliorum offensioni sit futura.

Exsecutori committatur ... Gratiae concessio etiam necessario executori committitur, idest, cui non relinquitur nisi nudum ministerium: etiamtum namque gratiam Princeps non quidem ipse concedit, sed concedi iubet (cfr. Introduct. Tit. Nota 4). Tunc tamen improprie dicitur concessio gratiae *committi*, cum ab executoris arbitrio non dependat. Contra, dependet omnino, cum executor est voluntarius: tunc enim Princeps *gratiae concessionem remittit omnino arbitrio et conscientiae executoris* (S. C. Ep. et Reg. in *Conchen.* 3 sept. 1852). — *prudenti arbitrio et conscientia* ... scilicet conscientia et arbitrio, quae propria sunt viri

prudentis; quare gratia neque sine causa est concedenda, neque cum causa deneganda.

2. Necessarius igitur executor, suo arbitrio et conscientia denegare non potest executionem rescripti; executor vero voluntarius potest. Et ratio est manifesta; dum enim ille iubetur gratiam concedere, hic nequaquam iubetur, sed (cfr. Introduct Tit. Nota 3) totum negotium prudenti eius conscientiae et arbitrio committitur.

Posse autem executorem necessarium denegare executionem rescripti, imo ad id teneri, si rescriptum sit irritum aut, quod in idem redit, si conditiones essentiales impletae non fuerint, nihil mirum: nam irritum rescriptum nihil est, et ideo nihil potest executioni mandari; vel, si magis placet, invaliditas rescripti secumfert mandati invaliditatem et inde incapacitatem executoris.

Quod si validum sit rescriptum, at orator indignus, tunc executio non quidem proprie denegatur, sed tantum suspenditur, donec rescribens, de re certior factus, quid placuerit edicat.

Can. 55.

Exsecutor procedere debet ad mandati normam, et nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio.

Hic canon et subsequens, executio rescriptorum quemadmodum sit peragenda, docent. Et primum de forma intrinseca executionis.

1. *Conditiones essentiales* ... executionem nempe respicientes (cfr. can. 39) — *procedendi formam* ... sive ab homine, idest a rescribente, sive generaliter a iure, pro materiae varietate, statutam — *substantialem* ... ex. c. pertinet ad substantialem formam absolutionis a censura in foro sacramentali, adhibitio formulae, sacramenti poenitentiae propriae (cfr. can. 2250 § 3 et 885).

2. Ut igitur valida sit executio rescripti, fieri debet ad normam mandati, conditiones essentiales, rescripto appositas, implere oportet ac substantialem procedendi formam servare. Et merito: nam quidquid potestatis, quoad rescripti executionem, est in delegato executore, a delegante procedit et mandato continetur; deinde, conditione apposita, executionis validitas omnino a conditione pendet; denique actus quilibet, qui destitutus sit substantialibus formalitatibus, ab homine vel a iure requisitis, irritus est.

Can. 56.

Exsecutio rescriptorum quae forum externum respiciunt, scripto facienda est.

Canon est de forma extrinseca executionis rescriptorum.

1. *Rescriptorum...* quorumcumque sive gratiae sive iustitiae — *forum externum...* Rescriptorum (sicut et omnes actus iuridici, quibus ecclesiastica negotia, Superioris vel iudicis auctoritate, finiuntur), alia forum externum respiciunt, alia internum. Et internum semper respiciunt rescripta, quae a tribunali S. Poenitentiariae conceduntur (cfr. (can. 258 § 1). Ab aliis autem Romanae Curiae dicasteriis atque ab inferioribus Ordinariis, tum regulariter rescriptum datur pro foro externo, cum ius inde quaesitum oportet adversus omnes posse probari. Ceterum quodnam forum rescriptum respiciat, ex eius tenore et materia eruitur.

2. Itaque scripto facienda est executio rescriptorum ad forum externum pertinentium. Siquidem in foro externo *res tunc fieri dicuntur, cum innotescunt* (Sanchez, *De s. matrim. sacram.* I, 63, n. 2), cum nempe ita fiunt, ut possint probari: et quae probari non possunt, non sunt. Probatio autem non potest fieri, nisi per hominum testimonium, quod aut orale est aut scriptum: si primum maluerimus, testes adhibemus; si alterum, instrumentum conficimus. Quod etiam Legislatori nostro placuit et pro executione rescriptorum eligere; et sane, per se instrumentum et fidelius est et durabilius.

Can. 57.

§ 1. *Rescriptorum exsecutor potest alium pro suo prudenti arbitrio sibi substituere, nisi substitutio prohibita fuerit, aut substituti persona praefinita.*

§ 2. *Si tamen fuerit electa industria personae, exsecutori non licet alteri committere, nisi actus praeparatorios.*

Canon tribuit executori facultatem alium subdelegandi.

1. *Exsecutor...* quilibet, sive voluntarius sive necessarius, idque derogando praescripto veteris iuris: et videtur certum, nam Legislator non distinguit, ac nomine *executoris* tum voluntarium (can. 54 § 2), tum necessarium intelligit. — *alium...* Executor necessarius, cum, alium subdelegando, iurisdictionem non transmittat (cfr. comment. ad can. 54 n. 1), si rescribens non contradixerit ac nulla requiratur potestas ordinis, absolute loquendo et ad validitatem executionis, quemcumque sib posset substituere, etiam laicum: decet tamen, imo ex tacita voluntate rescribentis non licet, nisi clericum subdelegare, et quidem qui, quo

fieri potest, sit in dignitate ecclesiastica constitutus. Ex adverso, executor voluntarius, cum alium subdelegare non possit, quin iurisdictionem ecclesiasticam transmittat, clericum sibi substituere debet, et si potestas Ordinis requiratur, sacerdotem aut etiam quandoque alium Episcopum. — *prohibita fuerit...* a rescribente vel a iure, ex toto vel ex parte, si nempe *subdelegandi ius pro aliquibus tantum coarctetur* (S. Congreg. S. Off. decr. 14 decr. 1898) — *industria personae...* aut expresse, velut si Princeps iusserit executorem per se et personaliter expedire negotium; aut tacite, velut si dixerit ex. c. *se ei committere negotium difficile et arduum* vel similia (cfr. d'Annibale *Summ. theol. mor.* Pars I, n. 72). Ideoque electam fuisse aut minus industriam personae, eruendum est ex tenore mandati. — *actus praeparatorios...* ex. c. recognitionom authenticitatis et integritatis rescripti, aut excussionem testim: decretum vero executionis executor ipse ferre debet.

2. In canone ea, quae can. 199 continentur de potestate delegata, applicantur, legem extendendo, executioni rescriptorum. Et revera, ex § 2 eius canonis, *potestas iurisdictionis ab Apostolica Sede delegata subdelegari potest sive ad actum, sive etiam habitualiter, nisi electa fuerit industria personae aut subdelegatio prohibita.* Et haec facultas subdelegandi, in exequendis rescriptis, extenditur etiam ad merum executionis ministerium, cui nulla iurisdictio coniungitur. Deinde, ex § 4 eiusdem canonis, *potestas iurisdictionis delegata* (non ad universitatem negotiorum) *ab eo qui infra Romanum Pontificem habet ordinariam potestatem, subdelegari potest tantummodo ex concessione expresse facta.* Et haec facultas subdelegandi, in exequendis rescriptis inferiorum Ordinariorum, extenditur etiam ad casum, quo concessio expresse facta non sit.

Hinc potestas delegata ad executionem rescripti, potest semper, prudenti arbitrio executoris, subdelegari, dummodo, ut est planum, subdelegati persona non fuerit a rescribente ipso praefinita vel subdelegatio prohibita aut, quod in idem redit, electa industria personae executoris delegati: idque, ut ait Gregorius Pp. IX (c. 53 X *de offic. et potest. iudic. deleg.* I, 29), *quoniam apostolica sedes intendit providere negotiis et non personis, quibus eadem committuntur.*

Nec praetereundum est, *nullam subdelegatam potestatem posse iterum subdelegari, nisi id expresse concessum fuerit* (can. 699 § 5): idque etiam valere in executione rescriptorum.

CAN. 58.

Rescripta quaelibet exsecutioni mandari possunt etiam ab exsecutoris successore in dignitate vel officio, nisi fuerit electa industria personae.

Canon docet potestatem exequendi rescriptum, qua executor usus non sit, transire in successores.

1. *In dignitate...* Dignitas videtur hic accipi abstracte et significatione latissima. Quare ecclesiasticae personae, a dignitatibus capitularibus usque ad S. R. E. Cardinales (qui et ipsi rescriptorum Ap. Sedis, quae eorum dioecesim suburbicariam vel titulum aut diaconiam in Urbe vel etiam protectorias respiciant, executores esse possunt), in dignitate constitutae dicuntur, quamvis interdum nulla fruantur iurisdictione. — *vel officio...* idest ecclesiastico, quod definitur a Codice, veluti *munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis* (can. 145 § 1). Proinde, et cappellanus monasterii et Secretarius Status R. P. recte dicuntur officio fungi. Potest igitur dignitas esse sine officio et officium sine dignitate; ambo tamen sunt stabilia et permanentia, quamvis personae, iis addictae, perpetuo mutentur.

2. Quare igitur rescripta quae exequenda sunt a persona in dignitate constituta vel officio ecclesiastico addicta, possunt quoque ab eius successoribus executioni mandari. Hinc. ex. c. *facultates habituales Episcopo* (aut iis, qui veniunt nomine Ordinarii — cfr. comment. ad can. 15 n. 1) *ab Apostolica Sede concessae, etiamsi ipse eas exequi coeperit, transeunt ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt* (can. 66 § 2); eodemque modo *rescripta apostolica, quae Episcopo remissa sint* (can. 368 § 2), exequi possunt, resoluto Episcopi iure, etiam *Capitulum et postea Vicarius Capitularis* (can. 435 § 2). Idque ideo iure statutum est, uti nuper innuimus, quia *dignitas* (sicut et officium) *eorum perpetua est, et personae obitu vel renuntiatione non extinguitur* (Schmalzgrueber, *Ius eccl. univ.* Pars I, Tit. IV, § 6, n. 33), et praeterea, quia *is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debet* (R. 46 R. J. VI°). Haec tamen locum non habent, si electa fuerit industria personae: cum enim mandatum tunc omnino sit personale, extincta persona, evanescit.

3. Itaque Princeps in rescriptis exequendis eligere potest: 1) dignitatem aut officium, idque semper fecisse videtur cum elegerit personam in dignitate vel officio ecclesiastico constitutam: est enim haec interpretatio et rescripto et oratori favorabilior; 2) personam dignitate atque officio ecclesiastico expertem; 3) industriam personae, cui sit aut minus dignitas vel officium coniunctum. Iamvero: si primum, mandatum et subdelegari potest et transit in successores; si alterum, potest quidem subdelegari, sed in successores non transit; si tertium, neque subdelegari potest, neque in successores transire.

Can. 59.

§ 1. *Exsecutori fas est, si quoquo modo in rescriptorum exsecutione erraverit, iterum eadem exsecutioni mandare.*

§ 2. *Quod attinet ad taxas pro rescriptorum exsecutione, servetur praescriptum can.* 1507 § 1.

Canon succurrit executori rescripti, qui in executione erraverit.

1. *Quoquo modo* ... ex. c. si ante receptas literas vel authenticam notitiam rescriptum executioni mandaverit (cfr. S. Poenitent. 15 ian. 1894 § 2, et comment. ad can. 53 n. 1), aut conditiones essentiales literis appositas non impleverit, vel substantialem procedendi formam non servaverit (cfr. comment. ad can. 55 n. 1.) — *erraverit* ... scilicet substantialiter, nam secus executio valet, eamque iterare necesse non est.

Servetur praescriptum can. 1506, § 1 ... in quo haec habentur: *Salvo praescripto can.* 1056, *praefinire taxas pro variis actibus iurisdictionis voluntariae* (et ideo etiam pro executione rescriptorum episcopalium) *vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae, in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii provincialis aut conventus Episcoporum; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit.* Canon vero 1056, supra exceptus, haec habet: *Excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae, in dispensationibus* (matrimonialibus) *pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt occasione concessae dispensationis, emolumentum ullum exigere, nisi haec facultas, a Sancta Sede expresse eis data fuerit; et si exegerint, tenentur ad restitutionem.* Scilicet taxae pro executione rescriptorum hoc iure reguntur: — 1) pro tota provincia ecclesiastica simul debent praefiniri, et proinde — 2) praefiniri non possunt, nisi a Concilio provinciali aut in conventu Episcoporum. — 3) Excipitur executio dispensationum matrimonialium, pro qua non admittitur taxae solutio, sed tantummodo (et quidem si agatur de non pauperibus) modica praestatio ex titulo expensarum cancellariae: et qui contra fecerint, ad restitutionem tenentur, nam sanxit Conc. Tridentinum, ut quaelibet matrimonialis *dispensatio gratis concedatur* (Sess. XXIV *de reform. matrim.* c. V), ac postea Ecclesia, praxi huiusmodi firmissime semper adhaesit (cfr. can. 1056 in font.) — 4) Taxarum praefinitio, antequam ab Ap. Sede approbata fuerit, obligat neminem.

2. Est autem ratio primae partis canonis manifestissima. Nam, si executor in rescriptorum executione substantialiter erraverit, nihil egit: ideoque iterum rescriptum est executioni mandandum.

Can. 60.

§ 1. *Rescriptum, per peculiarem Superioris actum revocatum, perdurat usque dum revocatio ei qui illud obtinuit significetur.*

§ 2. *Per legem contrariam nulla rescripta revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis.*

Canon, cum subsequenti, est de cessatione rescriptorum.

1. *Rescriptum* ... quodlibet, sive gratiae sive iustitiae, sive generale sive peculiare — *per peculiarem Superioris actum* ... rescriptum enim revocari potest aut per peculiarem actum Superioris aut per legem — *ei qui illud obtinuit* ... nempe oratori.

Nisi aliud in ipsa lege caveatur ... videlicet expresse, saltem per generalem clausulam derogatoriam — *a Superiore ipsius rescribentis* ... Ita lex lata ab Ap. Sede revocat rescripta contraria inferiorum Ordinariorum, etiam mentione eorum non facta; lex lata ab Ap. Sedis Legato, aut a Concilio plenario vel provinciali, rescripta episcopalia; lex lata a Capitulo generali religionis exemptae, rescripta Superiorum provincialium.

2. Itaque rescriptum, tum per peculiarem actum Principis revocatum censetur, cum revocatio impetranti significatur. Nec sine ratione: nam omne ius, quod a Principe procedit, tum subditis constitutum aut revocatum censetur, cum iisdem authentice constat voluntas principalis; et, sicut legis latio aut abrogatio constat subditis per promulgationem legis (cfr. can. 22), ita datio aut revocatio rescripti tunc subdito constat, cum eidem significatur.

Quare vero per legem contrariam nulla rescripta ab eodem legislatore data (idest aut a R. P. aut ab inferiore aliquo legislatore), nisi eorum in lege expressa mentio fiat, revocata censeatur, patet ex iis, quae supra diximus (cfr. comment. ad can. 48 n. 2).

Denique, idcirco, etiam sine expressa mentione, lex lata a Superiore ipsius rescribentis, huius rescriptum revocat, quia inferior legislator nihil potest adversus legem superioris legislatoris: et sicut non valet in ea dispensare, ita etiam neque contra rescribere; et ideo eo res tunc devenit, a quo incipere non potuisset. Secus, si rescriptum fuerit praeter, non contra legem.

Can. 61.

Per Apostolicae Sedis aut dioecesis vacationem nullum eiusdem Sedis Apostolicae aut Ordinarii rescriptum perimitur, nisi aliud ex additis clausulis appareat, aut rescriptum contineat potestatem alicui factam conce-

dendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis, et res adhuc integra sit.

Canon docet quandonam perimantur rescripta, resoluto, per vacationem sedis, iure rescribentis.

1. *Per vacationem* ... idest morte aut renunciatione R. P.; morte, renunciatione, translatione, remotione inferiorum Ordinariorum — *nullum rescriptum* ... sive generale sive peculiare, sive gratiae sive etiam iustitiae: verborum vis, si quid intelligimus, dubitare non sinit; ideoque, quidquid sit de veteri iure, iustitiae etiam rescripta, iure Codicis, non perimuntur vacatione sedis. — *ex additis clausulis* ... ex. c. «ad beneplacitum nostrum» (c. 5 *de rescript.* I, 3 in VI°), non autem si dicatur «ad beneplacitum Ap. Sedis» vel «ad beneplacitum Ordinarii pro tempore» — *potestatem alicui factam* ... cum nempe, si de Ap. Sede agatur, *supplex oratoris libellus ad Ordinarium vel alium eius loco ecclesiasticum virum remittitur, cum facultatibus petitam gratiam largiendi* (Pius Pp. X, *Ordo servandus* etc. 29 septembr. 1908. *Normae pecul.* cap. III art. I n. 3); eodemque modo, servatis servandis, cum agitur de rescriptis inferiorum Ordinariorum. Breviter, canon loqui videtur de executore voluntario. — *concedendi gratiam* ... quamcumque, sive simplicem gratiam (cfr. can. 62), sive privilegium, sive dispensationem. Agitur proinde in hac postrema parte canonis de rescriptis gratiae, et quidem faciendae, tantum — *peculiaribus personis in eodem expressis* ... et non aliis quibuslibet. Nimirum, Legislator loqui videtur de potestate ad actum, idest ad gratiam, iis tantum concedendam (oratoribus), qui in rescripto sunt designati: in summa, loqui videtur de facultate *actuali*. Alia plane res esset, si executori mandaretur potestas aliquam gratiam concedendi, non quidem personis tantum nominatim expressis, idest semel omnino, ad unum actum, ad unum casum, sed habitualiter, quibuslibet personis ea gratia opus esset: tunc enim facultas *habitualis*, seu privilegium praeter ius (cfr. can. 66), executori irrogaretur, aut in perpetuum aut ad tempus aut ad certum numerum casuum — *et res adhuc integra sit* ... videlicet, rescriptum substantialiter nondum sit executioni mandatum, si nempe nondum latum sit decretum executionis, vel, quod idem est, sit invalide latum.

2. Huius canonis haec igitur videtur esse sententia: nulla rescripta neque iustitiae neque gratiae cessant per vacationem sedis eius, qui rescriptum dedit. Excipiuntur tamen rescripta gratiae per executorem voluntarium faciendae, quoties semel tantum gratia facienda est (nec amplior potestas mandatur), ac, vacante sede, nondum est facta. Praeterea, neque mirum, excipiuntur rescripta, in quibus Princeps aliter disposuerit.

Non proinde cessant per vacationem sedis, etiamsi res integra fue-

rit, et executor voluntarius rescripta gratiae, non semel tantum, sed habitualiter faciendae, aut quomodocumque faciendae per necessarium executorem, sicut neque gratiae factae ac iustitiae rescripta.

Quare? Profecto, quia rescripta iustitiae non gratiam, beneficium, favorem continent, sed applicationem iuris, quae et a Principe semper censetur recte facta et a successore servata; deinde, quia rescripta gratiae factae, statim effectum habent ac datae sunt literae et ideo gratia iisdem rescriptis concessa, cum sedes postea vacaverit, iam facta est ius oratori quaesitum; postea, quia rescripta gratiae faciendae per executorem necessarium, gratiam continent, quae ex parte rescribentis facta iam est: quare executori non relinquitur nisi nudum ministerium, quod ne iurisdictionis quidem exercitium postulat; demum, quia per rescripta gratiae non semel, sed habitualiter faciendae, irrogatur executori privilegium praeter ius (cfr. can. 66), quod, quamvis iis, in quorum tandem favorem conceditur, sit gratia facienda, executori tamen est gratia facta, et quae quidem, quia privilegium, per se perpetua est (can. 70).

Ex adverso, re integra, cessat per vacationem sedis rescriptum gratiae semel faciendae per executorem voluntarium idest facultas ad actum seu actualis, executori commissa: tum enim quicquam nondum ab executore concessum est, et ideo, nullum ius acquisitum; sed nec amplius concedi potest, cum delegata executori potestas per vacationem sedis tunc extinguatur (can. 207 § 1). Quod si res iam integra non fuerit, cum id ex eo evenerit, quod executor ad rescripti executionem processerat, gratia tunc facta censetur.

Can. 62.

Si rescriptum contineat non simplicem gratiam, sed privilegium vel dispensationem, serventur insuper praescripta canonum qui sequuntur.

Canon declarat, si agatur de privilegiis et dispensationibus rescripto concessis, hunc titulum duobus subsequentibus compleri.

In canone *simplex gratia* privilegio atque dispensationi contraponitur: quare, cum dispensatio sit semper gratia contra ius, privilegium vero gratia contra aut praeter ius, semper tamen permanens, nomine simplicis gratiae rescripto concessae (de qua, sicut etiam de rescriptis iustitiae, hoc in titulo egit), Legislator videtur intelligere gratiam, quae et praeter ius datur et modo non permanenti.

Ut titulum resumamus, in primis animadvertendum est posse legislatorem nedum lege, sed rescriptis quoque, ad subditorum instantiam datis, ius constituere. Cum vero Princeps rescribit, aut iuris a se vel ab inferiore legislatore constituti observantiam urget, aut praeter vel etiam contra idem ius aliquid concedit: illa rescripta iustitiae, haec

gratiae appellantur. Quod si rescripto gratia in casu speciali concedatur (can. 62) et sit praeter ius, *simplex gratia* dicitur; si contra ius, *dispensatio:* si vero concedatur pro aliquot casibus (cfr. comment. ad can. 66 n. 1), qui occurrere possunt intra determinatum tempus, aut pro omnibus prorsus casibus speciei unius, et ideo sine temporis limitatione, sive praeter sive contra ius sit, *privilegium* vocatur. Et primum hoc in titulo, de rescriptis in genere, nec non de simplici, quae iisdem conceditur, gratia praeter ius; deinde titulo V de privilegiis, quae praeter aut contra ius esse possunt; tandem titulo VI de dispensationibus, quae semper contra ius sunt.

Rescriptum quis impetrare potest (can. 36) tum pro se tum pro alio, etiam praeter eius assensum (can. 37), nisi eum Superior aut iudex ecclesiasticus censura multaverit aut eâdem irretitum esse declaraverit (can. 1654, 2265 § 2, 2275 n. 3, 2283).

Impetratum rescriptum, si iustitiae sit aut gratiae faciendae per interiectum executorem, effectum habet tempore executionis; si sit gratiae a Principe ipso factae nullo executore interiecto, statim ac datae sunt literae (can. 38): id tamen, si conditiones essentiales, quae sive expresse (can. 39) sive tacite rescripto forte adiectae fuerint, tunc de facto extent (can. 41).

Huiusmodi conditiones admodum variae esse possunt: veruntamen omnibus rescriptis apposita subintelligitur conditio: *si preces veritate nitantur* (can. 41). Tum vero preces veritate non nituntur, cum vel expressa non sunt (subreptio), quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda (can. 42 § 1); vel nulla ex propositis causis motivis (obreptio) vera est (ibid. § 2). Excipe rescripta *motu proprio* concessa: haec namque clausula, purgat subreptionem (can. 45). Quaenam autem de stylo Curiae oporteat ad rescripti validitatem exprimere, suis locis particulatim demonstrabimus; at generaliter irritum est rescriptum gratiae ab inferiore concessum (velut Ordinario, Vicario Generali etc.) sine assensu Superioris (veluti S. Congregationis aut Officii Curiae Romanae, Episcopi etc.), qui forte prius gratiam negaverit (can. 43 et 44); itemque rescriptum alterius dicasterii (veluti sacrae alicuius Congregationis aut Officii Curiae, Episcopi etc.), quod cum primo, id denegante, unum efficit tribunal, sine mentione denegationis dicasterii illius (veluti S. Congregationis aut Officii u. s., Vicarii generalis etc.). Excipiuntur rescripta S. Poenitentiariae, quippe quae forum tantum internum respiciunt (ibid.). Praeterea irrita sunt rescripta quaelibet, concessa personae de iure communi inhabili aut contra ius particulare vel alteri quaesitum, nisi de his et in precibus mentio fiat et clausula derogatoria rescripto apponatur (can. 46). Insuper irritum est rescriptum, si error irrepserit in nomine personae, loci, rei: nisi haec, Ordinarii iudicio, nihilominus certe definiri possint (can. 47). Denique irritum est rescriptum,

in quantum contradicit alteri, ab eodem legislatore de eademque re prius impetrato, nisi in posteriore mentio de primo fiat aut huius executio dolo sit vel gravi negligentia procrastinata (can. 48 § 1 et 2); quod si eodem momento concessa fuerint aut si tempus concessionis ignoretur, ambo irrita sunt (ibid. § 3).

Validum rescriptum interpretari oportet. Quod ut rite fiat, verba sensu rescribenti proprio (can. 49) sunt intelligenda. Si vero positivum dubium subsit, rescripta, quae odiosi aliquid contineant, strictam; cetera latam interpretationem recipiunt (can. 50).

Deinde rescriptum iustitiae aut gratiae faciendae executioni mandandum est, et quidem praefinito tempore, si sit a rescribente determinatum; alias, quovis tempore, modo absit fraus et dolus (can. 52). Ad validitatem autem executionis, oportet executor literas receperit earumque authenticitatem atque integritatem recognoverit (can. 53). Recognitis literis, si executor fuerit voluntarius, gratiae concessio dari vel negari potest, pro prudenti eius arbitrio (can. 54 § 2); contra, si necessarius fuerit, executio suspendi non potest, nisi ob causas a iure taxative statutas (can. 54 § 1). Deinde, si executio fiat, scripto (can. 56) atque ad normam mandati fieri debet (can. 55) vel ab executore ipso vel ab eius subdelegato vel a successore in dignitate aut officio (can. 58), nisi aliter rescriptum sit aut electa fuerit industria personae (ibid.). Quod si executor in executione erraverit substantialiter, iteranda est executio (can. 59).

Ex adverso, si rescriptum sit gratiae factae, nulla executione indiget et proinde nullus executor eligitur; rescriptum tamen Ap. Sedis, Ordinario interdum praesentari oportet (can. 51).

Tandem rescripta, qua rescripta sunt, cessant per revocationem. Haec fit vel per actum peculiarem Superioris, ei qui obtinuit significatum, vel per legem expresse derogatoriam aut latam a Superiore rescribentis (can. 60), minime vero per sedis vacationem, nisi in casibus a iure vel ab homine statutis (can. 61).

TITULUS V.

DE PRIVILEGIIS.

Uti supra diximus, rescripto interdum privilegia conceduntur; privilegiis vero aut praeter aut contra legem ius constituitur: quare, et hoc in libro de iis agendum erat, et post titulum de rescriptis.

Ait Cicero *(pro domo sua,* 17): *Vetant leges sacratae, vetant XII tabulae leges privatis hominibus irrogari: id est privilegium.* Et sequitur: *Nemo unquam tulit; nihil est crudelius, nihil quod minus haec civitas ferre possit.* Scilicet agebatur de lege a P. Clodio tribuno pl. lata,

qua summus orator a. U. 696 in exilium electus fuerat. His igitur verbis patet, iure romano antiquitus privilegium acceptum esse significatione legis, latae tum in favorem tum in odium privatae personae.

Postea, introducto principatu, Ulpianus ait (fr. 24 D. XLII, 5): *Divus Marcus (a. 161-180 p. Chr. n.) ita edixit: Creditor, qui ob restitutionem aedificiorum crediderit, in pecunia quae credita erit privilegium exigendi habebit.* Et Papinianus († a. 212): *Post eam*, inquit (fr. 15 D. XXVIII, 6), *autem aetatem ex privilegio militum patris dumtaxat cum fructibus* etc. (Cfr. etiam fr. 30 D. XXVII, 1). Postea Theodosius II Aug. (a. 408-450) haec habet (l. 4 Cod. Th. XV, 3): *Nulla ... dignitate aut privatorum privilegiorum vi,* etc. Tandem Iustinianus Aug. (a. 527-565) ait (L. 3 Cod. I, 14): *Nec his quae specialiter quibusdam concessa sunt civitatibus vel provinciis* etc. Itemque (Nov. CVIII c. 3): *Huiusmodi vero privilegium in hoc ordine cognationis solis praebemus fratrum masculorum aut feminarum filiis aut filiabus, ut in suorum parentum iura succedant* etc. Scilicet D. Marcus, Papinianus, Iustinianus Aug. loquuntur de *privilegiis* creditorum quorundam, militum, quorundam filiorum: idest privilegii nomine, *iura singularia* intelligunt, ex iure communi ad quosdam coetus spectantia; Theodosius vero II ac postea Iustinianus Aug. *ius singulari personae a Principe peculiariter indultum* non privilegium vocant, sed variis verborum circumlocutionibus utuntur: *quae specialiter quibusdam concessa sunt* vel *privilegium speciali beneficio indultum* (Const. *Summa*, § 4) vel etiam *privatum privilegium*. Praetermissa igitur vetustiore illa significatione, de qua Cicero pro domo sua ad Pontifices, romani iurisconsulti, tum aetatis aureae, tum Theodosii ac Iustiniani tempore, censuerunt duo esse genera privilegiorum: alia, quae quodammodo *publica* dici poterant, quum ex iure communi omnibus competerent, qui ad quosdam personarum coetus pertinerent vel in quosdam casus inciderent; alia, quae poterant quodammodo *privata* appellari: non enim ex communi iure, sed *speciali beneficio Principis, huic vel illi singulari personae*, physicae aut morali, concedebantur.

Et hac duplici significatione, institutum iuridicum privilegii in ius nostrum receptum est. Omnes quippe iure tenemur, tum communi tum particulari. Attamen, pro Ecclesiae amplitudine, opportunum saepe visum est ecclesiastici regiminis necessitatibus, hominum ingenio, moribus, personarum locorumque circumstantiis aut promeritis aliquid indulgere. Non autem id indulgeri dicitur, quod est secundum ius: non enim, ut iure agamus, opus est indulgentia Principis. Contra, vel id a legislatore indulgetur, quod, lata lex non admitteret; vel id legitime fieri, quod silente lege (idest neque explicite neque implicite sanciente), si factum fuerit, per se ratum ac legitimum non esset. Quaelibet igitur gratia, quae a Principe indulgetur, aut iuri constituto derogat, aut, silente iure, iuridice agendi facultatem tribuit, ex. c. absolvendi, dispensandi,

indulgentiam lucrandi. Quod quidem postremum recte dicitur iuri non derogare, cum id ius iis tantum vetet, qui agendi facultate non gaudeant. Quae profecto facultas, si permanenter concedatur, privilegium est: ideoque Hinschius (*System des kath. Kirchenr.* etc. l. III p. 808) perperam contendit, privilegia praeter ius dari non posse.

Nec tantummodo per peculiarem actum Principis privilegium acquiritur; nam, quamvis minus proprie, quocumque modo (lege, consuetudine, praescriptione, privilegii communicatione) legitime quis (sive persona physica sive moralis sive coetus personarum) iuris imperio subducatur, aut, silente iure, facultate iuridice agendi, quam ex iure non habet, augeatur, recte privilegium consequi dicitur.

Est igitur privilegium, latissima significatione acceptum, *ius contra aut praeter legem alicui permanenter acquisitum.* Atque ita accipi videtur a Legislatore nostro: loquitur enim Codex de privilegiis clericorum atque religiosorum, itemque de privilegiis per consuetudinem, praescriptionem, communicationem aut directam Principis concessionem acquirendis.

Hinc privilegiorum partitio. Etenim privilegia vel *ab homine* sunt vel *a iure:* ab homine sunt, quae a Principe directe vel indirecte, idest per communicationem, conceduntur; a iure sunt, quae, communi aut particulari iure, vel personarum coetui expresse tribuuntur vel moralibus aut physicis personis per consuetudinem, communicationem aut praescriptionem acquiri permittuntur. Deinde, quamvis in physicas personas ecclesiasticas tandem aliquando semper redundent, privilegia tamen vel personis vel causis (idest rei, loco, statui, dignitati, officio) acquiri dicuntur: si primum, *personalia*; si alterum, *realia* vocantur. Praeterea, privilegiorum alia sunt *gratuita*, si gratis omnino; alia *rimuneratoria*, si propter merita; alia *onerosa*, si quasi ex contractu concedantur. Denique alia *favorabilia* sunt, alia *odiosa*, prout ius privilegio acquisitum secum fert aut minus, praeiudicium tertii vel legis.

Concilium Tridentinum, *quoniam privilegia et exemptiones, quae variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in episcoporum iurisdictione excitare, et exemptis occasionem laxioris vitae praebere dignoscuntur* (*Scss. XXIV de reform.* c. 11), privilegia plurima revocavit, praesertim regolaribus; plura etiam Codex (cfr. Indicem analyt.-alphab. sub verbo *privilegia*), quo, praeterea, quaevis inter regulares privilegiorum communicatio in posterum interdicitur (can. 613 § 1).

Ius civile nostrae aetatis plura privilegia late sumpta (iura singularia) in favorem quorundam coetuum vel causarum, et saepius re quam nomine, ex iure romano derivavit aut nova introduxit(1); privilegia

(1) Cfr. Cod. civ. ital.: *Credita privilegiata* (art. 1954 et seq.); Cod. commerc.: *Credita privil. maritima* (art. 666 et seq.).

vero per directam concessionem generatim non admittit, nisi fuerint antea quaesita aut per legem irrogata. Privilegia autem ecclesiastica, qua ecclesiastica sunt, iure civili in tantum recognoscuntur, in quantum ex toto vel ex parte recognoscitur Ecclesiae legislatio (cfr. Introduct. ad Tit. I).

Hoc in titulo Legislator agit: 1°) de privilegiorum acquisitione (can. 63-66); 2°) de eorum interpretatione (can. 67 et 68); 3°) de usu atque duratione (can. 69 et 70); 4°) et cessatione (can. 71-79).

CAN. 63.

§ 1. *Privilegia acquiri possunt non solum per directam concessionem competentis, auctoritatis et per communicationem, sed etiam per legitimam consuetudinem aut praescriptionem.*

§ 2. *Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii.*

Canon, cum tribus sequentibus, modos exhibet, quibus privilegia acquiruntur, conditionesque ad id requisitas. Et primum Legislator, praetermissa acquisitione, quae fit per legem (haec enim ad ius commune aut particulare pertinet, quare omnino improprie inde dicuntur privilegia acquiri), generice loquitur de aliis acquirendi modis.

1. *Per directam concessionem...* Privilegii concessio vel directe fit vel indirecte, idest per communicationem. Tunc autem concessio dicitur directe fieri, cum per actum peculiarem Principis fit, vel *motu proprio* vel *ad instantiam* subditorum. — *competentis auctoritatis* . . . Quilibet legislator (cfr. Introduct. ad Tit. I) privilegia concedere potest: qui enim potest legem ferre, potest etiam lege, a se, a praedecessore vel ab inferiore legislatore lata, subditos exonerare, aut iis peculiaria iura constituere. Ideoque R. P. quaevis privilegia concedere potest contra aut praeter quamcumque legem mere ecclesiasticam, quamvis a se lata non sit. Inferiores vero legislatores concedere possunt privilegia praeter aut contra legem a se latam. Possuntne praeter ius commune? Quaestio est diu acriterque agitata (cfr. Wernz, *Ius decret.* Vol. I n. 15, nota 25). Et videntur posse. Id namque vidimus esse praeter ius commune, quod neque explicite neque implicite hoc iure definitur, quodque ideo cadit sub potestate legifera inferiorum legislatorum. Ut autem id legitime agere possimus, quod nulla lege, ne implicite quidem, sancitur, oportet facultas legitime agendi (cfr. comment. ad can. 66 n. 1) concessa nobis sit per ius peculiare. Hanc autem facultatem, si supremus Princeps iure communi sibi reservaverit, patet inferiorem legislatorem concedere non posse; at, huic si communi iure fuerit reservata, cur non possit concedere non videtur, tanquam privilegium praeter ius commune. Tamen et subditis tantum et in praeiudicium subditorum

concedere potest: ceteri et non acquirunt et impedire possunt quo minus exerceatur, nisi forte privilegium sit personale (cfr. comment. ad can. 74); non enim potest quis ius dicere supra iurisdictionem suam. — *per communicationem...* qua scilicet, ex voluntate Principis concedentis, privilegia cuidam personae morali, dignitati aut officio concessa, aliis quibusdam moralibus personis, officiis aut dignitatibus eiusdem generis, facto ipso acquiruntur. Ita privilegia apostolica ante promulgationem Codicis concessa religionibus exemptis, praesertim *mendicantibus,* ex pluribus pontificiis constitutionibus, et signanter Iulii II, Leonis X et Pii V (cfr. Reiffenstuel, *Ius can. univ.* in tit. 33 libr. V Decret. n. 55), ceteris acquirebantur. Ita etiam privilegia, quibus gaudet Ordo regularis (cfr. can. 488 n. 2), acquisita sunt quoque, quatenus sint capaces, monialibus eiusdem Ordinis (can. 613 § 2); concessa vero archiconfraternitatibus vel primariis fidelium unionibus, iure communi iis etiam unionibus vel confraternitatibus competunt, quae iisdem fuerint aggregatae (can. 732 § 1) — *per legitimam consuetudinem...* Consuetudine contra ius, constituto iuri derogatur; consuetudine praeter ius, novum ius constituitur communitati, quae consuetudinem legitime introduxerit. Et hoc sensu dicitur per consuetudinem acquiri posse privilegium: esse nempe (lata significatione) privilegium, id, quod per consuetudinem acquiritur sive contra sive praeter ius commune aut particulare. Agitur proinde de consuetudine iuris: haec autem nonnisi a communitate, legis saltem recipiendae capaci, servatisque omnibus, quae ad legitimam consuetudinem inducendam requiruntur (cfr. Comment. ad can. 27 et 28) introduci potest. — *aut praescriptionem* ... Est praescriptio *acquirendi et se liberandi modus* (can. 1508); et quia per praescriptionem possumus bona aut iura acquirere, quibus lege non fruebamur, ac, quibus lege tenebamur obligationibus, nos liberare, inde defluit posse nos, praescriptione contra aut praeter ius, privilegia acquirere. Quare *privilegium et praescriptio a pari procedunt et quidquid est quaesibile per praescriptionem, est etiam quaesibile per privilegium* (S. Rota, *in Recentior.* decis. 221, n. 2 p. 1). Praescriptione igitur, quaelibet physica aut moralis persona, etiamsi incapax sit consuetudinis inducendae, acquirere potest privilegium, dummodo adsit bona fides canonica atque agatur de re aut iure, quae sint praescriptioni obnoxia (cfr. can. 1509-1512). Qua in re advertendum est, ea iura tanquam privilegia per praescriptionem acquiri non posse, quae nonnisi per privilegium apostolicum directe vel ex communicatione concessum, possunt obtineri, et, *a fortiori*, quae Ap. Sedes concedere non solet (cfr. comment. ad can. 27 n. 1). Ita clericus, medicinam aut chirurgiam, etc. exercendi privilegium, praescriptione non acquirit (can. 139 § 2); presbyter privilegium ministrandi s. confirmationis sacramentum (can. 782 § 2), utendi in celebranda Missa pileolo et annulo (can. 811 § 2) aut altari portatili (can. 822 § 2) aut papali

(can. 822 § 3); ita etiam inferiores R. P., privilegium committendi aliis facultatem indulgentias concedendi (can. 913 n. 1); dispensandi, praeter ius commune, impedimenta tum dirimentia tum impedientia matrimonium (can. 1040); item quaevis physica in Ecclesia persona, privilegium gerendi munus administratoris dioecesani, si cum Ordinario loci primo vel secundo gradu sit consanguinitate aut affinitate coniunctus (can. 1520 § 2), et alia multa (cfr. passim Cod. iur. canon.): quae omnia solummodo per apostolicum privilegium, directe aut ex communicatione concessum, obtineri possunt.

Possessio ... Iure romano et nostro aliud est possessio rei, aut quasi-possessio iuris, aliud rei aut iuris simplex detentio: haec in simplici rei subiectione aut iuris exercitio consistit, puta si quis rem aut ius detineat nomine alieno; illa in subiectione atque exercitio, cum animo rem aut ius tanquam sua habendi, coniunctis, sive id fiat bona aut mala fide, sive iuste (idest nec vi, nec clam, nec precario) aut iniuste; nam, ut ait Paulus (fr. 3 D. XLI, 2), *in summa possessionis non multum interest, iuste quis an iniuste possideat.* Possessori autem iure succurritur actionibus possessoriis (romano vero iure, interdictis *retinendae* aut *recuperandae* possessionis), contra quemlibet arbitrarium perturbatorem, non tamen contra proprietarium vel utcumque ius possessionis habentem. — *centenaria vel immemorabilis* ... (cfr. comment. ad can. 5 et 27 n. 1) — *praesumptionem* ... scilicet iuris. *Et qui habet pro se iuris praesumptionem liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam; qua non probante sententia ferri debet in favorem partis pro qua stat praesumptio* (can. 1827) — *privilegii* ... cuiuscumque, etiam apostolici, si opus sit, praeter aut contra quaslibet mere ecclesiasticas leges, exclusis solummodo privilegiis, quae Ap. Sedes concedere non solet — *concessi* ... Legislator hac locutione utitur, quia iis tantum subvenire intendit, quibus deest titulus quasi-dominii ex legitima consuetudine aut praescriptione defluentis; et ait hos agere posse innixos praesumptione iuris, qua, post factum centenariae possessionis, privilegium consecuti censentur ex concessione directe aut per communicationem facta.

2. De prima canonis parte nihil animadvertendum: tot sunt modi privilegia acquirendi, quot modi sunt acquirendi iura contra aut praeter ius; inde canonis enumeratio, qua privilegia quatuor modis acquiri posse dicuntur.

Sententia partis alterius haec est: qui per centum annos privilegium possederit, iuste aut iniuste, bona aut mala fide, iure praesumitur legitime possidere et ideo, centenaria et *a fortiori* immemorabili possessione probata, quavis alia probatione eximitur; unde privilegio pacifice uti potest, donec legitimus adversarius probet possessionem esse vitiosam, atque ita praesumptio cedat veritati. Haec sententia: et nititur doctrina iuridica possessionis in publica utilitate fundata.

Can. 64.

Per communicationem privilegiorum, etiam in forma aeque principali, ea tantum privilegia impertita censentur, quae directe, perpetuo et sine speciali relatione ad certum locum aut rem aut personam concessa fuerant primo privilegiario, habita etiam ratione capacitatis subiecti, cui fit communicatio.

Canon, cum sequenti, loquitur de privilegiis per communicationem concessis. Et primo declarat quaenam privilegia ita concessa censeantur.

1. *In forma aeque principali* ... Communicatio privilegiorum fieri potest duplici forma: *aeque principali* atque *accessoria.* In forma aeque principali fit, cum impertito privilegio, tot censentur privilegia concessa, quot sunt personae, quibus privilegium communicatum est; in forma accessoria fit, cum unum privilegium, principali privilegiario concessum, personae, quibus communicatur, participant. Utraque forma in canone intelligitur. — *quae directe* ... videlicet non et ipsa per communicationem concessa fuerint — *perpetuo* ... idest sine limitatione temporis — *sine speciali relatione ad certum locum* ... cuius nempe ratione concessa fuerint, veluti indulgentia Portiunculae, quod privilegium apostolicum praeter ius commune, concessum est ab Honorio Pp. III D. Francisco Assisinati pro ecclesia Portiunculae, et a Gregorio Pp. XV omnibus Franciscalium fratrum ecclesiis extensum (cfr. Oietti, *Synopsis,* verb. *Portiuncula*) — *rem* ... ex. c. martyris aut sancti alicuius sepulcrum, ratione cuius sit privilegium concessum — *personam* ... ex. c. de Ecclesia benemerentem — *concessa fuerant* ... idest a Principe per peculiarem actum : ideoque privilegia consuetudine aut praescriptione aquisita non comunicantur — *capacitati subiecti* ... cui nempe privilegium est communicandum. Siquidem huiusmodi persona subiectum esse potest ex iure incapax, ratione status personalis: ita ex. c. moniales capere non possunt privilegia, quae sine ecclesiastica iurisdictione in usum deduci nequeunt.

2. Ex canone igitur non omnia privilegia communicantur inter eos, quibus ius communicationis concessum est, sed ea tantum quae primo privilegiario directe, perpetuo, nec ratione loci, rei aut personae concessa fuerint. Et ratio est evidens: communicatio enim privilegiorum, si ad non directe concessa etiam extenderetur, implicatissima esset et fere in infinitum procederet; ex adverso communicatio privilegiorum non perpetuorum inter morales personas, quae natura sua perpetuae sunt, nec intelligitur; demum privilegia, quae ratione loci, rei aut personae conceduntur, personam, rem aut locum non egrediuntur, et ideo eorum extensio contradiceret communicationi privilegii. Ceterum standum est

tenori rescripti, quo privilegium irrogatur. Nec praetereundum est, nullum privilegium, post diem 19 maii 1918 religioni concessum, aliis religionibus communicari (cfr. can. 613 § 1).

Can. 65.

Cum privilegia acquiruntur per communicationem in forma accessoria, augentur, imminuuntur, amittuntur ipso facto, si forte augeantur. imminuantur vel cessent in principali privilegiario; secus si acquirantur per communicationem in forma aeque principali.

Canon est de conditione privilegiorum communicatorum.

Verba canonis clara; ratio eo consistit, quod, uti diximus, cum privilegium in forma aeque principali communicatur, ex uno tot fiunt privilegia quot sunt personae privilegiariae, perinde ac si singula singulis directe essent concessa; cum vero communicatur in forma accessoria, unum idemque concessum privilegium, prout in se est, plures participant: ideoque auctum, imminutum, amissum, omnibus simul eodemque modo privilegiariis necesse est accrescat, minuatur, pereat.

Can. 66.

§ 1. *Facultates, quae conceduntur vel in perpetuum vel ad praefinitum tempus aut certum numerum casuum, accensentur privilegiis praeter ius.*

§ 2. *Nisi in earum concessione electa fuerit industria personae aut aliud expresse cautum sit, facultates habituales, Episcopo aliisve de quibus in can. 198 § 1 ab Apostolica Sede concessae, non evanescunt, resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exequi coeperit, sed transeunt ad Ordinarios qui ipsi in regimine succedunt; item concessae Episcopo competunt quoque Vicario Generali.*

§ 3. *Concessa facultas secumfert alias quoque potestates quae ad illius usum sunt necessariae; quare in facultate dispensandi includitur etiam potestas absolvendi a poenis ecclesiasticis, si quae forte obstent, sed ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae.*

Canon loquitur de facultatibus habitualibus, quae, personis iurisdictione ecclesiastica fruentibus, conceduntur sive a R. P. sive ab inferioribus legislatoribus.

1. *Facultates habituales...* Facultas (a vetustiori voce *facul*, idest *facilis*) proprie significat, ita dicam et sit venia verbo, alicuius rei *factibilitatem*, ex eo enascentem, quod vires ingenii, scientiae, artis, auctoritatis suppetunt. Unde Cicero (II *de invent. rhetor.* 3): *Quoad facultas tulit;* vel etiam (*pro Fonteio*, 6): *Facultas ad dicendum data.* Hinc facultas perinde

nobis est, ac rei alicuius iuridica *factibilitas* vel data a legislatore *potestas*, qua nempe ita aliquid fieri potest, ut effectus iuridicos pariat. Huiusmodi autem facultas iuridica potest aut lege constitui, aut consuetudine vel praescriptione acquiri, aut simplici gratia vel dispensatione vel privilegio indulgeri. Quae vero privilegio indulgetur — de qua hic sermo — *habitualis* esse debet: nam si actualis, idest ad actum concessa, simplex gratia aut dispensatio, non privilegium est. Deinde facultas habitualis, quae privilegio conceditur vel actus iurisdictionales, clerici iurisdictionem ampliando, respicit (ex. c. dispensandi, absolvendi); vel actus non iurisdictionales (ex. c. indulgentiam acquirendi): hoc facultatis genus iure nostro saepe saepius *indulti* aut *privilegii* nomine vocatur; illud, quodammodo antonomostice, *facultas*. Et de hoc postremo genere canon loquitur, uti patet ex contextu, praesertim ex § 3 canonis. — *aut certum numerum casuum* ... Casus (a *cadere*) actus cadendi proprie significat et inde etiam tum *actum* eveniendi alicuius facti, tum *factum* ipsum quod accidit. Unde in iure duplici praesertim significatione accipitur, videlicet: 1°) pro facto seu specie facti iuri comparata; quare Ulpianus (fr 16 D. XXXVI, 1): *Talis quoque casus a divo Pio terminatus est* ... *Divus etenim Pius rescripsit* etc.; et nostro iure dicimus: *Casuum reservatio, sententia confirmanda vel infirmanda in casu* etc.; 2°) pro actu eveniendi facti ipsius, quo sensu idem Ulpianus (fr. 64 D. XXIV. 3): In *quibus igitur casibus* (idest, cum talia facta seu facti species occurrunt) *lex deficit;* et iure nostro, uti habemus in canone: *ad certum numerum casuum;* vel can. 77: *expleto numero casuum, pro quibus privilegium fuit concessum.* Itaque facultatem habitualem vel numero casuum, ad quos se extendit, vel tempore demetimur; si numero casuum, vel ad aliquot unius speciei casus vel ad omnes extenditur; si tempore vel ad praefinitum tempus vel sine limitatione temporis, hoc est in perpetuum conceditur. Princeps utroque modo significare potest durationem facultatis. — *accensentur* ... *Accensere* (ab *ad* et *censeo*) adnumerare, adscribere, addere significat: quare sententia legis est, habituales facultates adnumerandas esse privilegiis praeter ius; iis nempe, quae ideo conceduntur, ut possit quis iuridice agere, quod secus, silente iure, non potuisset (cfr. Introduct. Tit.).

Industria personae... (cfr. comment. ad can. 57 n. 1) — *aliud expresse cautum sit* ... idest, nisi in rescripto, quo facultates conceduntur, aliquid statuatur ab iis, quae sequuntur, diversum — *de quibus in can.* 198 § 1 ... quo canone declaratur quinam censeantur nomine *Ordinarii* (cfr. comment. ad can. 15 n. 1) — *resoluto iure* ... (cfr. comment. ad can. 24 n. 1)

Alias quoque potestates ... idest cuiuscumque generis, quae ex iure ad illius usum sunt necessariae, dummodo pertineant ad iurisdictionem eius, qui facultatem concessit: aliter et facultas ipsa irrita est, quia inutilis. Et exinde huiusmodi potestatibus utens, ea omnia servare debet, quae a iure et fortasse etiam ab homine pro earundem usu requi-

runtur. — *ad effectum dumtaxat...* Scilicet facultas, nedum illi cui conceditur, sed iis etiam prodest in quos exercetur; hoc tamen sensu, quod, si quae forte obstiterint, minime tollantur per exercitium potestatum cum facultate coniunctis, sed potius tantummodo eatenus suspendantur, quatenus est necessarium, ut facultatis exercitium suos iuridicos effectus producat: praeter hos limites concessa facultas minime suffragatur.

2. Secundum ius est, quod iuxta; contra ius, quod facimus contra praescriptum iuris; praeter ius est, quod neque iuxta neque contra, sed quod facimus iure nihil definiente. Facultatibus autem habitualibus legislator clerici iurisdictionem, quae iure illi competebat, extendit, idest potestatem tribuit, quam sibimetipsi iure reservaverat, ac proinde de qua aut nihil iure praescribebat, aut sibi reservatam esse animadvertebat. Merito igitur facultates habituales accensentur privilegiis praeter ius.

Deinde *is qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debet* (R. 46 R. J. in VI°). Hinc, nisi in pontificio rescripto aliud cautum fuerit, facultates habituales Ordinariis sive territorialibus sive non territorialibus concessae, non cessant, eorum resoluto iure, etiamsi res iam integra amplius non sit: non enim personae, sed officio conceduntur.

Itemque Episcopi et Vicarii Generalis unum est tribunal: et ideo facultates habituales illi concessae, et huic competere dignoscuntur.

Demum, *cui licet quod est plus, licet utique quod est minus* (R. 53 R. J. in VI°): etenim *in toto partem non est dubium contineri* (R. 80 R. J. in VI°). Et inde est, concessam facultatem alias quoque facultates secumferre, sine quibus exerceri non potest: alias inutiliter concederetur.

CAN. 67.

Privilegium ex ipsius tenore aestimandum est nec licet illud extendere aut restringere.

Hic canon et sequens de interpretatione privilegiorum agunt; et primum de privilegiis, quae per verba indubiae significationis exprimuntur.

1. *Privilegium...* quodlibet sive contra sive praeter ius, ideoque etiam facultates habituales — *ex ipsius tenore...* ex tenore nempe partis dispositivae rescripti, qua privilegium irrogatur, unico (si de directa concessione agatur) aut primo privilegiario (si agatur de concessione per communicationem facta). Privilegia vero, quae per consuetudinem vel praescriptionem acquiruntur, aut quae post centenariam possessionem acquisita praesumuntur, ad normam consuetudinis ipsius vel usus interpretanda sunt. Scilicet verba, sicut de rescriptis generaliter diximus, intelligenda sunt secundum eam significationem, quam solet rescribens iisdem proprie tribuere. — *extendere aut restringere...* vi-

delicet, cum certa est significatio verborum, uti non licet interpretatione extensiva aut restrictiva, sed declarativa tantum (cfr. comment. ad can. 17 n. 1)

2° Quare ? Quia profecto, cum Princeps et multum et fere nihil contra aut praeter ius per privilegium concedere possit, *in privilegiis tantum videtur concessum, quantum scriptum est* (S. Rota, decis. 1445 n. 6 coram Seraphino): *quae* enim *a iure communi* aut particulari) *exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda* (R. 28 R. J. in VI°). Sunt enim *privilegia stricti iuris, adeoque ad sensum verborum restringenda sunt* (S. Rotà, in *Recentior.* decis. 324 n. 12 p. 5 t. I), scilicet *in exemptionibus gratiosis, non autem in onerosis* (ibid. decis. 299 n. 16 et 17 p. 12). *Quod dicendum etiam est in concessione propter benemerita* (ibid. n. 24 et 27); *et quantum fieri potest, ad iuris consonantiam sunt reducenda* (ibid. decis. 165 n. 12 p. 16).

Can. 68.

In dubio privilegia interpretanda sunt ad normam can. 50; *sed ea semper adhibenda interpretatio, ut privilegio aucti aliquam ex indulgentia concedentis videantur gratiam consecuti.*

Hic docemur quemadmodum interpretandum sit privilegium, cum verba sunt dubiae significationis.

1. *In dubio...* idest positivo (cfr comment. ad can. 15 n. 1) de significatione verborum sive circa id, quod per privilegium conceditur, sive circa personas, res, casus, quibus quarumque ratione conceditur vel ad quos extenditur — *Ad normam can. 50...* quatenus nempe patitur natura privilegiorum: ideoque, cum dubium subest, privilegia, *quae iura aliis quaesita laedunt, vel adversantur legi in commodum privatorum, strictam interpretationem recipiunt ; cetera omnia latam* (can. 50). Proinde privilegia, quae sunt contra ius vel, si praeter ius, quae cedunt in praeiudicium iurium, aliis quomodocumque legitime quaesitorum, stricte sunt interpretanda, cetera, ea nempe privilegia praeter ius, quae iura quaesita non laedunt, late interpretari debemus. — *sed ea semper adhibenda interpretatio...* videlicet tam late privilegium interpretari oportet — *ut aliquam gratiam...* Tum privilegium, tum dispensatio, tum simplex gratia, gratiae nomine continentur. Quid igitur ? *Ne* privilegium *dicatur superfluum, satis est, quod aliquid etiam minimum operetur* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 557 n. 27 p. 19 t. I).

2. Itaque in dubio, cum scilicet non est certum quidnam, aut quibusnam, aut quarum ratione rerum, aut quibus in casibus Princeps per privilegium indulserit, idque ex privilegii tenore aestimare non possumus, ideoque vel late vel stricte privilegium interpretari potest, regula aliqua indigemus, ut palam fiat, quando late quandove stricte inter-

pretari debeamus. Iamvero, primum Legislator docet, privilegia contra ius vel, si praeter, ius tertii laedentia stricte intelligi oportere, ut *minus quam fieri potest laedatur rigor legis quae per privilegium laxatur* (S. C. Conc. in *Arboren.* 26 ianuar. 1771 § *Qua quidem*) aut ius aliis iam legitime quaesitum, si contingat huiusmodi privilegium quandoque indulgeri. Etenim privilegium, quod *vergat in alterius praeiudicium nunquam* (aut saltem difficillime) *solet Pontifex concedere* (ibid. in *Forolivien.* 2 aug. 1846 § *Animadvertit*), et rescriptum concessionis, *nisi apponatur derogatoria clausula, non sustinetur* (can. 46). Ita vero concessa gratia, *quae exorbitet a iure, oportet veluti odiosa restringi* (c. 1 *de filiis presbyter.* etc. I, 11 in VI°): siquidem et *odia restringi convenit* (R. 15 R. J. in VI°) et *locupletari non debet aliquis cum alterius iactura* (R. 48 R. J. ibid.). Tamen etiamtum ea adhibenda est interpretatio, qua privilegiarius aliquid per privilegium consecutus esse videatur. Haec namque, est voluntas Principis rescribentis, uti ius aliquod privilegiario acquiratur, quo alias caruisset: si vero privilegiarius nihil prorsus acquireret, omnino subtilitatibus interpretantium voluntas Principis interciperetur.

Contra, cum agitur de privilegio praeter ius, quod neminem laedit, si dubium subsit, late est interpretandum; nam, ut ait Innocentius Pp. III in decretali inter fontes relata, *beneficia* (quae nempe uni prosunt, alteri non nocent, et ideo non sunt nisi *beneficia*) *Principum sunt interpretanda largissime* (c. 16 X *de verb. signif.* V, 40; *favores* enim *convenit ampliari* (R. 48 R. J. in VI°).

Can. 69.

Nemo cogitur uti privilegio in sui dumtaxat favorem concesso, nisi alio ex capite exsurgat obligatio.

Canon est de usu privilegiorum.

1. *Nemo* . . . idest nulla privata persona, nulla communitas, nullus coetus — *cogitur* . . . idest obligatione tenetur — *uti privilegio* . . . De usu aut non-usu privilegiorum, non prius quaerere possumus, quam privilegium effectum habuerit. Iam vero privilegium vel irrogatur per modum legis vel per modum rescripti. Si per modum legis, statim habet effectum ac lex obligare incipit; si per modum rescripti irrogetur, videndum est num concedatur tanquam gratia facta vel potius tanquam gratia facienda (cfr. comment. ad can. 38 n. 1): si primum, effectum habet statim atque concessum est, et ante acceptationem privilegiarii, qui iura, privilegio concessa, statim atque factam gratiam probare potest, potest etiam adversus quemlibet in iudicio vindicare; si alterum, effectum habere incipit executione peracta, qua privilegiarius facto ipso privilegium acceptat. Et sicut usus privilegii habendus est tanquam eius ac-

ceptatio tacita, ita et non-usus aut usus privilegio contrarius, si certis vestitus sit conditionibus, haberi potest tanquam tacita renunciatio (cfr. can. 72) — *in sui dumtaxat favorem* ... Privilegia irrogari possunt: 1°) aut in favorem coetus vel communitatis aut in favorem privatae personae (cfr. comment. ad can. 72 n. 1); 2°) aut exclusive in favorem personarum aut directe quidem in favorem rerum (rei, loci, officii, dignitatis), indirecte vero in favorem personarum. Unde, si de privata persona agatur, in sui duntaxat favorem privilegium concessum dicitur, cum neque in favorem coetus aut communitatis, neque in favorem rei simul et personae irrogatum est. — *nisi alio ex capite*... Potest nempe utendi obligatio urgere, etiamsi in sui dumtaxat favorem concessum sit privilegium. Ita qui fruitur privilegio privati sacelli, si die festo domo egredi non valeat atque alia non obstent, tenetur uti privilegio suo.

2. Ex canone habemus: 1°) Privilegiarium, in cuius duntaxat favorem privilegium concessum est obligatione eo utendi non teneri; 2) eundem autem privilegiarum teneri, quoties ex alio capite, quam ex privilegio, exurgat obligatio. Haec explicite. Implicite vero; 3) privatam personam obligari ad usum privilegii, quod in favorem communitatis, coetus, rei concessum sit.

Primum patet ex eo, quod, cum in mei duntaxat favorem irrogatum est privilegium, eo uti, non aliorum, sed tantummodo mea interest. Quo si usus non fuero, id significat, opinari me usum privilegii, certis de causis, in meum dispendium vertere. Cum autem *quod ob gratiam alicuius conceditur non sit in eius dispendium retorquendum* (R. 61 R. J. in VI°), merito iure non cogor privilegio uti.

Alterum vero ex eo patet, quod ad ius privilegio quaesitum exercendum, non quidem privilegii vi, sed alia lege interdum quis teneri potest. Neque tum proprie dicimur privilegio uti, sed potius legem servare, quam per usum tantum privilegii servare possumus. Unde nihil mirum, eum qui habet privilegium (cfr. can. 139 § 2) medicinam exercendi, ad usum privilegii teneri, si forte medici non adsint et sit periculum in mora.

Tertium denique patet ex eo, quod, cum privilegium in favorem coetus aut communitatis concessum est, non sui, sed communitatis aut coetus commodo est irrogatum. Quare privata persona, etiamsi in suum praeiudicium cedat usus privilegii, eo uti debet: bonum enim commune suprema lex, quae privato bono submoveri non oportet. Si vero privilegium directe concessum sit in favorem rei, persona rei addicta, ut privilegio utatur, legibus parere debet, quae rei sunt constitutae.

Quid autem de usu privilegii contra alium privilegium ac de regula antiquis iuris: *privilegiatus contra privilegiatum utitur iure communi* (arg. ex fr. 11 D. IV, 4)?

Ni fallimur, videtur conflictus, post promulgationem Codicis am-

plius dari non posse. Cavet enim Legislator (can. 46) *non sustineri rescriptum, etiam «motu proprio» concessum contra ius alteri quaesitum, nisi expressa derogatoria clausula rescripto apponatur.* Ideoque, nisi posteriori rescripto, quo privilegium conceditur, privilegio antea concesso, quodque in usu fuerit nec revocatum, expresse derogetur, posterius privilegium non valet. Quod si de privilegio agatur, consuetudine aut praescriptione legitime acquisito, vi ipsius praescriptionis atque consuetudinis priori privilegio iam derogatum est.

CAN. 70

Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum.

Canon est de duratione privilegiorum.

Privilegium perpetuum praesumitur, nisi aliud constet. Et aliud constat, si ex ipsius privilegii tenore praefinitum sit tempus, aut numerus casuum statutus; vel si de facto probari possit iam cessasse. Privilegium est perpetuum, quemadmodum perpetua est lex, cui contraponitur vel praeter quam conceditur, quare etiam, non immerito, privilegium *legem* appellamus *in privos* (idest in singulos) *latam;* quare per se concipitur sine limitatione temporis, et ideo, pro varietate circumstantiarum, durat usque ad revocationem, renunciationem, resolutionem iuris concedentis, extinctionem personae vel rei, praescriptionem: cum enim Princeps privilegium concedens *nihil exceperit et potuerit excepisse* (c. 23 X *de privilegiis* V, 33), valet regula: *decet concessum a principe beneficium esse mansurum* (R. 16 R. J in VI°).

CAN. 71.

Per legem generalem revocantur privilegia in hoc Codice contenta; ad cetera quod attinet, servetur praescriptum can. 60.

Canon cum septem sequentibus agit de cessatione privilegiorum: et primum de cessatione per revocationem a Principe factam.

1. *Per legem generalem...* Generales sunt leges, quae Codice continentur, itemque leges, quae post Codicem promulgabuntur pro Ecclesia universa, quaeque etiam ad normam motus-propr. *Cum iuris* (15 sept. 1917) in Codicem sunt inserendae. — *in hoc Codice contenta...* ex. c. quae S. R. E. Cardinalibus aut religiosis irrogantur. Et omnia quidem privilegia, lege generali concessa, Codice continentur: quae non continentur, revocata sunt. — *ad cetera quod attinet...* scilicet, quod attinet ad privilegia, quae in Codice non reperiuntur, ideoqne vel lege particulari vel rescripto sunt concessa. Privilegia vero per consuetudinem quaesita, consuetudinis sortem sequuntur (cfr. comment. ad

can. 30); acquisita per praescriptionem, per contrariam praescriptionem amittuntur, neque a Principe censentur revocari nisi propter utilitatem publicam nominatim revocentur. — *praescriptum can. 60* ... scilicet: — § 1. Privilegium, *per peculiarem Superioris actum revocatum, perdurat usque dum revocatio ei, qui illud obtinuit significetur.* — § 2. *Per legem contrariam nulla* privilegia *revocantur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore ipsius rescribentis.* Paucis verbis multa continentur. Scilicet, dum privilegia lege generali in Codicem recepta, per posteriorem generalem legem, absque ulla clausula derogatoria, revocantur, si legi contraria sint, eodemque modo, servatis servandis, privilegia per legem particularem concessa; contra si rescripto irrogata, hisce modis revocari possunt: 1°) per quamcumque legem contrariam, sine ulla derogatoria clausula, latam a Superiore privilegium concedentis; 2°) per quamcumque legem contrariam, cum clausula tamen derogatoria, latam ab eo qui privilegium concessit; 3°) per actum peculiarem revocatorium tum concedentis tum eius Superioris. Praeterea (dum revocatio per legem tunc fit, cum lex obligare incipit) idem canon docet, revocationem per actum peculiarem factam, non prius effectum habere, quam privilegiario fuerit, et quidem authentice, significata.

2. Privilegia valide posse revocari ex eo defluit, quod, cum per voluntatem Principis esse incipiant, per eandem etiam possunt retractari, et retractata nihil sunt: *omnis enim res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* (C. 1 X *de reg. iur. V*, 41); licite vero revocari posse, inde descendit, quod hanc semper tacitam conditionem continent. Non tamen sine causa, praesertim si pactum intercesserit. Unde, privilegia gratuita ex qualibet causa iusta revocari possunt, non autem onerosa ac remuneratoria, quae onerosis fere aequiparantur: haec siquidem pacto quodammodo consistunt. Et, cum pactorum fides a Principe vel maxime servari oporteat, privilegia onerosa licite revocari non possunt, nisi id exigat necessitas publica, quae *debet esse magna* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 339 n. 13 p. 9 t. I) ac simul iusta compensatio concedatur. Et revocata non censentur, nisi clausula specialis adiiciatur legi.

Ita vero, prout fert sententia canonis, privilegia revocantur, quia Princeps *iura* communia tantum, *in scrinio pectoris sui censetur habere* (c. 1 *de constit.* I, 2 in VI°), et cum iura alia, quae in facto consistunt, ignorare possit, reipsa ignorare praesumitur: quare, si voluerit de his iuribusaliquid statuere, oportet ea, saltem generaliter, perspecta se habere demonstret, expressam de iisdem mentionem faciendo. Sed, quod ignoratur, revocari non potest: et inde est, ea privilegia, quae ad ius commune non pertinent, non posse, clausula derogatoria non adiecta, per legem revocari.

Tamen lex a Superiore lata, quaelibet privilegia contraria ab inferiore concessa revocat, etiamsi clausula derogatoria non apponatur.

Tum non requiritur privilegii cognitio, sed sufficit lex: non enim legislator inferior aliquid potest contra superiorem legem, et ideo privilegium, licet *recte constiterit, in eum* tunc *casum recidit, a quo consistere non potuisset* (fr. 98 D. XLV, 1).

CAN. 72.

§ 1. *Privilegia cessant per renuntiationem a competente Superiore acceptatam.*

§ 2. *Privilegio in sui tantum favorem constituto quacvis persona privata renuntiare potest.*

§ 3. *Concesso alicui communitati, dignitati, locove renuntiare privatis personis non licet.*

§ 4. *Nec ipsi communitati seu coetui integrum est renuntiare privilegio sibi dato per modum legis, vel si renuntiatio cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium.*

Canon agit de cessatione privilegiorum per renunciationem a privilegiario factam.

1. *A competente Superiore...* Is Superior competens est ad renunciationem privilegii acceptandam, qui est competens ad privilegium concedendum. (cfr. comment. ad can. 63 n. 1) — *acceptatam...* sive expresse, sive tacite, sive praesuntive.

In sui tantum favorem... (cfr. comment. ad can. 69 n. 1) — *persona privata...* In can. 99 Legislator personas ecclesiasticas partitur in physicas et morales, has vero in collegiales et non collegiales (cfr. comment. ad can. 26 n. 1); hic autem de persona privata, de communitate, de coetu loquitur. Quare? Nimirum *publicum ius*, ait Ulpianus (fr. 1 D. I, 1) *est quod ad statum rei Romanae spectat, privatum quod ad singulorum utilitatem: sunt enim quaedam publice utilia, quaedam privatim.* Et Papinianus (fr. 38 D. II, 14): *Ius publicum privatorum pactis mutari non potest.* Unde Innocentius Pp. III c. 12 X *de foro compet.* II, 2): *Manifeste patet quod pacisci non possunt* (scil. clerici), *ut saecularia iudicia subeant, quum non sit beneficium hoc* (idest privilegium fori) *personale, cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico publice sit indultum, cui privatorum pactio derogare non potest.* Itaque agitur hic de privata et publica persona, de privilegio privatim aut publice irrogatum. Eademque significatione loqui videtur can. 50 de privilegiis, *quae adversantur legi in commodum privatorum.* Publica igitur est lex, publicus plerumque locus, cui privilegium conceditur, publicae eae physicae aut morales personae, quae iurisdictioni praesunt aut eam participant, a R. P. usque ad ecclesiae alicuius rectorem aut confessarium; ceterae privatae sunt. Rursus publica sunt privilegia, quae per legem irrogantur aut quae conceduntur communitati

publice constitutae vel coetui, cui quidem nonnisi per legem indulgeri possunt.

Communitati... (cfr. comment. ad can. 26 n. 1) — *dignitati...* (cfr. comment. ad can. 58 n. 1) — *locove...* (cfr. comment. ad can. 75 n. 1).

Coetui... Coetus, a *coeo* (*cum eo*), sumitur proprie pro actu coeundi: tum vero *coitus* potius dicitur. Et inde etiam aggregationem hominum significat. Quare Cicero (I *de oratore*, 8): *Posse dicendo tenere hominum coetus.* Deinde (II *de finibus*, 4): *Tanquam meretricem in matronarum coetus.* Vel etiam (I *in Catilinam*, 3): *Si neque nox obscurare coetus nefarios... potest?* Et hac significatione in ius nostrum verbum receptum est: unde dicimus coetus clericorum, religiosorum, parochorum, monialium, Episcoporum (cfr. comment. ad can. 26 n. 1) — *per modum legis...* Coetui personarum privilegium dari potest per modum legis; communitati, legis ecclesiasticae capaci, tum per modum legis, tum per modum rescripti; ceteris personis per modum rescripti tantum. Per modum autem legis privilegium conceditur, cum legem, privilegium continens, communitati aut personarum coetui rite promulgatur. — *in Ecclesiae...* scilicet universae, veluti cum agitur de privilegiis clericorum — *aliorumve...* idest cuiuslibet ecclesiasticae personae, sive physicae sive moralis, sive publicae sive privatae. — *praeiudicium...* tum pretio aestimabile, tum spirituale.

2. Ut igitur privilegio ecclesiastico a quavis persona, communitate aut coetu personarum renunciari possit, in primis oportet, renunciatio non cedat in Ecclesiae aliorumve praeiudicium. Quare id requiratur habes in comment. ad can. 69 n. 2.

Uti privilegio renunciare possit communitas aut personarum coetus, oportet etiam non fuerit per legem irrogatum: cum enim per legem quid constituitur, idest iubetur auctoritate Principis, neque acceptatio datur neque renunciatio: virtus namque legis a subditorum voluntate in Ecclesia non pendet (cfr. Introduct. ad Tit. I). Potest tamen lex ipsa auferri per consuetudinem legitime introductam (can. 27) et cum lege privilegium.

Ut autem privilegio renunciare possit privata persona, oportet insuper privilegium concessum non fuerit in favorem communitatis aut coetus, dignitatis aut loci: quod namque publice concessum est, renunciari non potest, nisi a publica persona, quae communitatis curam gerit, vel quae dignitatem sustinet aut loco praeest; vel a coetu aut a communitate universa.

Denique semper accedat necesse est Principis concedentis acceptatio. Idque non solum, quia Principis est iudicare, num renunciatio iure fieri possit, at praesertim quia per privilegium, nedum privilegiario ius, sed aliis quoque, privilegio probato, obligatio constituitur, huius exercitium non impediendi, et hac praecipue de causa privilegium dicitur etiam

privata lex, lex nempe aliis constituta in favorem personae unius huiusmodi autem obligatio eo usque perdurat, quo per acceptationem renunciationis non fuerit revocata.

3. Neque hic praetereundum est, renunciare privilegio statim ac concessum fuerit, idem esse atque privilegium non acceptare. Quare privilegia, quibus quis renunciare non potest, acceptare debet; et vicissim non acceptare potest, quibus potest renunciare. Inde etiam haud difficiliter quaestio solvitur, num acceptatio requiratur ad privilegii, tanquam *gratiam factam* concessi (cfr. comment. ad can. 38 n. 1; item ad can. 69 n. 1), validitatem. *Quanta fuerit*, ait Wernz (*Ius decret.* t. I n. 160) *hac de re opinionum diversitas, inde patet, quod praeter duas sententias principaliter sibi oppositas, quatuor aliae recenseantur.* Quas inter, tenendum nobis videtur, acceptationem non requiri, ita ut, etiam inscio privilegiario, quousque renunciatum non fuerit et renunciatio acceptata, privilegium valeat. Est enim privilegium, ius in favorem alicuius a Principe constitutum. Quis autem neget, id a Principe valide fieri posse, independenter a cuiuslibet acceptatione? Quod, si dicatur privilegium gratuitum (non enim de oneroso loquimur aut remuneratorio, quae, cum *quodammodo emantur* [S. C. Conc. *in Romana Odei* 29 ian. 1853 § *Atque*] expressum consensum requirunt) donationi aequiparari, quae acceptatione perficitur: respondendum videtur admodum improprie aequiparationem fieri, ac utcumque, ad naturam donationis, uti donatio est, acceptationem non pertinere (cfr. Savigny, *System* etc. § 160 — Ferrini, *Pandette* n. 695). Quod si dixeris *invito beneficium non dari*, privilegium vero esse beneficium: concedo beneficium non dari ei, qui, cum habeat renunciandi facultatem, acceptare detrectat; at nego ita non dari, ut nihil dari videatur usque dum is, cui datur, acceptaverit. Ceterum Codex, ni fallor, quaestionem solvit: ait enim, rescriptum impetrari posse pro alio etiam *praeter eius assensum*; et licet ipse possit gratia (idest simplici gratia, privilegio, dispensatione) per rescriptum concessa non uti (dum concessis per legem, usquequo non fuerint abrogata, semper uti debemus), *valere tamen* rescriptum *ante eius acceptationem*, nisi aliud ex appositis clausulis appareat (can. 37).

Haec theorice, nam de facto ex adiectis clausulis plerumque aliud apparet.

CAN. 73.

Resoluto iure concedentis privilegia non extinguuntur, nisi data fuerint cum clausula « ad beneplacitum nostrum » vel alia aequipollenti.

Canon est de cessatione privilegiorum per resolutionem iuris illius, qui privilegium concesserat.

Verba clara. Privilegium extingui potest, resoluto quovis modo iure

concedentis (cfr. comment. ad can. 24 n. 1), nimirum si datum fuerit cum clausula «ad beneplacitum nostrum» vel aequipollenti. Et hoc dicitur de quibuscumque privilegiis, tum gratuitis, tum remuneratoriis, tum onerosis, etiamsi data fuerint ad praefinitum tempus: sunt enim eiusmodi privilegia cum conditione concessa, uti nempe tandiu valeant quandiu Principis concedentis voluntas perseverat. Haec autem, eius resoluto iure, intercipitur.

Et quia de conditione locuti sumus, abs re non erit animadvertere, conditionem privilegio adiectam vel ipsum privilegium respicere posse vel privilegii concessionem aut usum. Si conditio respiciat privilegium ipsum, patet, quocumque tempore conditio deficiat, deficere et privilegium; si concessionem respiciat, conditione semel impleta, privilegium, ius acquisitum fieri, neque ultra a conditione pendere; si autem conditio respiciat privilegii usum, ea deficiente, privilegium, pro vario conditionis tenore, aut usu suspensum manere, donec conditio denuo adsit, aut perpetuo illicitum fieri, ideoque implicite corruere (cfr. Schmalzgrueber, *Ius eccles. univ.* P. III Tit. 33 n. 161).

Can. 74.

Privilegium personale personam sequitur et cum ipsa extinguitur.

Canon hic et sequens de eorum privilegiorum cessatione agunt, quae fit per extinctionem privilegii. Et primum de extinctione privilegiorum personalium.

1. *Personale* ... Personale est privilegium, cum *directe personae* (idest physicae) *confertur sine contemplatione rei* (S. C. Conc. *in Romana Odei*, 29 ian. 1853 § *Atque*). Et potest esse nedum gratuitum ac remuneratorium (merita semper personalia sunt), sed etiam onerosum : nihil enim prohibet per contractum onerosum aliquid personaliter acquiri — *personam sequitur* ... scilicet quocumque ierit; neque huiusmodi privilegia *sunt transferibilia aut cessibilia* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 113 n. 8 p. 4 t. I): ideoque eorum usus a nemine, etiam extra territorium concedentis, impediri potest: idque auctoritate supremi Principis, quae hac in re, inferiorum legislatorum impotentiam supplet. — *cum ipsa extinguitur* ... Persona physica extinguitur morte, et cum ea extinguuntur privilegia personalia, nec transeunt in heredes aut quomodolibet successores.

2. Quare ? Quia privilegium personale et personae arctissime adhaeret et personam non egreditur; cumque tandiu privilegium perduret, quandiu perdurat eius fundamentum, et cum fundamentum privilegii personalis sit aliquid personae, si persona transferatur aut extinguatur, extingui aut transferri necesse est privilegium quoque.

CAN. 75.

Privilegia realia cessant per absolutum rei vel loci interitum; privilegia vero localia, si locus intra quinquaginta annos restituatur, reviviscunt.

Canon est de extinctione privilegiorum realium.

1. *Privilegia realia* ... Reale est privilegium, quod *proxime, immediate ac directe confertur rei vel loco, licet per consequens etiam personis addicatur, quae talem rem vel locum possident* (S. C. Conc. l. c.). Quare *reale dicitur privilegium quando est factum civibus, uti partes integrales communitatis* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 400 n. 25 p. 9 t. II) *sicut etiam* si concessum sit *potius ratione ordinis quam personarum* (ibid. n. 26) Ideoque reale est privilegium, cuius fundamentum non in persona reperitur, sed extra personam. Quidquid enim extra physicam personam est (personae morales hic non considerantur), res est; et rebus locus quoque adnumeratur. Quidquid igitur ad personam physicam ecclesiasticam, qua persona est, corpore nempe et animo conflata, non pertinet, res est, veluti altare aut calix consecratus; dignitas aut officium, cui persona est addicta; coetus aut communitas, cuius est pars. Nomine vero loci ea res intelligitur, in qua persona reperitur, veluti ecclesia, pagus, urbs, fundus. Et in dubio positivo, num personale aut reale sit privilegium, personale censetur si odiosum, reale si favorabile. — *per absolutum interitum*... Interire res aut locus dicuntur, cum id quod erant, substantialiter esse desinunt, sive id fiat materialiter sive iuridice, veluti si altare corruerit; vel communitas legitime supprimatur aut per centum annos esse desierit, ne uno quidem membrorum superstite (can. 102); vel si ecclesia diruta sit aut in usum profanum legitime redacta; vel si urbs aut pagus terrae motibus eversa fuerint. Est autem absolutus rei vel loci interitus, cum usui, cui addicta erant, ex toto inepta fiunt; relativus, cum ex parte tantum. — *si locus restituatur*... Tum locus restitui dicitur, cum in pristinum statum substantialiter redigitur. Idque etiam tum materialiter tum iuridice, ut supra diximus, fieri potest, veluti reaedificatione vel consecratione aut benedictione ecclesiae aut coemeterii (cfr. can. 1161, 1170, 1187) — *intra quadraginta annos* ... Ius antiquum tempus non praefinierat, sed *spes reaedificationis* sufficiebat; Codex vero tempus determinat, quo privilegia suspensa manent, quove praeterito, quidquid sit de spe reaedificandi, amittuntur.

2. Privilegia realia *cum re* (non cum persona) *ambulant atque ad heredes aliosque successores transmittuntur* (S. C. Conc. l. c.), itemque cum re (non cum persona) intereunt: rei enim (non personae) inhaerent, cum proprie res sit (non persona) privilegiarius. Haec plana.

Can. 76.

Per non usum vel per usum contrarium privilegia aliis haud onerosa non cessant; quae vero in aliorum gravamen cedunt, amittuntur, si accedat legitima praescriptio vel tacita renuntiatio.

Modo de cessatione privilegiorum per non-usum vel per usum contrarium.

1. *Per non-usum* ... Tunc privilegiarius privilegio non utitur, cum iura inde quaesita non exercet; idque evenire solet in privilegiis *affirmativis*, quae in agendo consistunt. — *per usum contrarium* ... Tum vero usus contrarius est privilegio, cum privilegiarius agit quidem, tamen non iuxta privilegium et contra ius, sed secundum ius commune aut particulare et contra privilegium; idque contingere solet in privilegiis *negativis*, quae consistunt in non agendo. — *aliis haud onerosa* ... idest, quae iura aliis quaesita non laedunt (comment. ad can. 50 n. 1) — *legitima praescriptio* ... videlicet in favorem eius, in cuius gravamen privilegium cedit. Et debet esse legitima (cfr. can. 1511 et 1512) — *tacita renuntiatio* ... Renunciatio expressa esse potest aut tacita vel praesumpta. De expressa in can. 72 egimus. Accedente autem non-usu aut usu contrario, ad amissionem privilegiorum, quae cedunt in aliorum gravamen, renunciatio expressa non requiritur, praesumpta vero non sufficit: tacita et requiritur et sufficit. Est siquidem renunciatio tacita, quae, oblata occasione ac nulla ratione obstante, per diuturnum non-usum aut per usum privilegio contrarium ita fit, ut merito inde argui possit, velle privilegiarium privilegio renunciare. Nec tamen possumus privilegio renunciare tacite, cui non possumus expresse.

2. Haec est igitur sententia canonis: per merum non-usum aut usum privilegio contrarium, nulla privilegia (ne onerosa quidem) cessant; si vero accedat legitima praescriptio aut tacita renunciatio, cessant ea privilegia, quae aliis sunt onerosa.

Quare? Multiplices sunt causae, quibus ductus potest privilegiarius privilegio non uti, etiamsi occasio ei praesto sit: ideoque non-usus privilegii aut usus contrarius per se nihil probat. Haec ratio primae partis.

Deinde ius praescribendi, paucis exceptis (cfr. can. 1509), omnia bona ecclesiastica atque iura complectitur, ideoque et privilegia. At, si privilegium cedit in aliorum gravamen, et praescribi possit (ibid.), non usus aut usus contrarius triginta annorum, qui ad legitimam praescriptionem ordinariam requiruntur (can. 1511 § 2), actionem adimit ad privilegium postea vindicandum: quare tunc proprie per non-usum privilegium cessat, quia cessat per praescriptionem.

Verum huiusmodi privilegia cessant etiam per tacitam renunciationem: tunc enim (cum privilegium est aliis onerosum) extat, cuius intersit voluntatem renunciandi, facto manifestatam, colligere. Quare renunciatio tunc a legislatore acceptata censetur (cfr. can. 72) ex dispositione iuris, dummodo agatur de privilegiis, quibus renunciari possit, ac renuncians capax sit renunciandi (cfr. comment. ad can. 72 n. 1). Et haec, ratio videtur partis alterius.

CAN. 77.

Cessat quoque privilegium, si temporis progressu rerum adiuncta sic, iudicio Superioris, immutentur ut noxium evaserit, aut eius usus illicitus fiat; item elapso tempore vel expleto numero casuum pro quibus privilegium fuit concessum, firmo praescripto can. 207 § 2.

Canon ceteros modos enumerat, quibus privilegia, absque culpa privilegiarii, cessare possunt.

. *Rerum adiuncta...* rerum status, conditio, circumstantiae — *iudicio Superioris...* eius nempe, qui privilegium concesserat, vel successoris in officio vel etiam eius, qui ampliori potestate fruitur, minime vero iudicio privilegiarii aut aliorum — *noxium...* Noxius (a *noceo*) idem est ac perniciosus. Unde Cicero (III *de legibus*, 3): *Magistratus nec obedientem et noxium civem coërceto.* Nimirum, canon de privilegio loquitur, quod in damnum vertat aut publici boni, aut privilegiarii, aut tertii, vel quod praeiudicium eius, in cuius gravamen irrogatum fuerat, vehementer augeat — *illicitus fiat...* idest contra naturalem aequitatem. Illicitum autem privilegium fit, cessante causa, quapropter erat indultum, non quidem *negative*, sed *contrarie.* Et negative quidem causa cessat, cum ex eo cessat, quod amplius non extat, veluti si vir, cui ob dignitatem indultum fuerat privatum sacellum, dignitatem legitime amittat; contrarie vero cessat, cum in causam contrariam (idest privilegium non concedendi) transmutatur, velut si ecclesia, cui ob inopiam privilegium decimandi in praeiudicium alterius ecclesiae indultum erat, locuples fiat (c. 9 X *de decimis* etc. III, 30). — *elapso tempore vel expleto*, etc... (cfr. comment. ad can. 66 n. 1) — *praescripto can.* 207 § 2... En canon: *Sed potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero validus est.* Proinde, quamvis pars ultima canonis 77 respiciat privilegia, quae pro utroque foro conceduntur, tamen facultates habituales, quae pro foro interno indultae fuerint, si per inadvertentiam privilegiarii earum usus ultra statutum terminum protrahatur, praescripto can. 207 § 2 reguntur. Et cum dicitur *actus*, unus aut plures intelliguntur, dummodo per inadvertentiam positi sint.

2. Si igitur, circumstantiis progressu temporis mutatis, Superior declaraverit privilegium noxium evasisse, privilegium cessat. Neque sine ratione: quandoquidem est publicum bonum suprema lex, cui privatorum iura, et praesertim privilegia, cum noxia fiunt, cedere debent. Deinde, quorsum privilegium, quod noxium est privilegiario? Etenim *quod ob gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum* (R. 61 R. J. in VI°). Demum, aequitas postulat, ne tertio damnum per privilegium inferatur vel, si in eius gravamen privilegium fortasse concessum sit, ne nimis gravetur.

Praeterea cessat privilegium, quod Superior declaraverit, mutatis rerum adiunctis, illicitum evasisse: etenim illicitum quod est, amplius prodesse non potest. Hactenus de cessatione privilegiorum ex Superioris declaratione.

Ex adverso absque ulla declaratione Superioris, ipso facto cessat privilegium elapso tempore expletove numero casuum, pro quibus concessum fuerat: privilegium namque non ultra fertur, quam Principis voluntas indulserit. At, quia facultates habituales pro foro interno ad utilitatem aliorum conceduntur, neque (prout accidit in foro externo) contestationes oriri possunt, privilegiatam iurisdictionem Legislator protrahit dispositione iuris, si, ex inadvertentia, eius usus ultra constitutos limites protractus fuerit.

Can. 78.

Qui abutitur potestate sibi ex privilegio permissa, privilegio ipso privari meretur; et Ordinarius Sanctam Sedem monere ne omittat si quis privilegio ab eadem concesso graviter abutatur.

Canon docet quemadmodum privilegia cessare possint per culpam privilegiarii.

1. *Qui abutitur...* Abuti (vi particulae *ab*) est male uti, et proprie significat aliqua re uti contra illum usum, ad quem natura est comparata. Unde Cicero (*pro Quint.* 31): *Ne ornamentis eius pro spoliis abutatur.* Et translate (I *in Catil.* 1): *Quousque tandem abutere...* Quare privilegio abutitur, qui contra mentem Principis concedentis (c. 2 X *de postul. praelat.* I, 5; c. 24 ibid. *de privil*, etc. V, 33) vel privilegii finem (c. 12 X *de cleric. non resident.* III, 4; c. 18 ibid. *de regul. et transeunt.* etc. III, 31) agit; breviter: qui quomodolibet male utitur indulto sibi privilegio. — *potestate...* Loquitur canon de potestate, sed verbum, ex decretalibus desumptum, prout etiam patet ex altera parte canonis, est accipiendum latissime, idest non solum pro facultate habituali, verum etiam pro iure quocumque ex privilegio quaesito: idque patet ex fontibus, praesertim vero ex decreto S. C. de Prop. Fide, 13 aug. 1774, quo

cavetur, ut qui iure altaris privilegiati, sibi ex privilegio apostolico indulto abusus fuerit maiorem inde exigendo eleemosynam, quam statuta synodalia aut consuetudo patiantur, teneatur ad restitutionem, ac, si personale fuerit, privilegium perdat, si vero reale, eo amplius non utatur. — *meretur...* Non ideo ipso facto, nisi cum hac conditione privilegium collatum fuerit, sed per actum Superioris abutens expoliandus est privilegio... *graviter...* Tum quis iure per privilegium sibi quaesito graviter abutitur, cum, iudicio boni tviri, idest Superioris, in utendo privilegio suo, ius graviter aut aequiatem laedit.

2. Privilegio abutens, eo privari meretur. Nihil evidentius: gratia namque, qua quis male utitur quaeque fit incitamentum aut occasio in legem aut aequitatem peccandi, profecto revocanda est. At revocare non potest nisi is, qui concessit eiusve successor aut Superior: ideoque, si agatur de apostolico privilegio Ap. Sedes est monenda.

Praeterea, tunc etiam ius ad privilegii usum facto ipso suspenditur, si privilegiarius fuerit excommunicatus (can. 2263).

CAN. 79.

Quamvis privilegia, oretenus a Sancta Sede obtenta, ipsi petenti in foro conscientiae suffragentur, nemo tamen potest cuiusvis privilegii usum adversus quemquam in foro externo vindicare, nisi privilegium ipsum sibi concessum esse legitime evincat.

Canon docet privilegii concessionem in foro externo in tantum admitti, in quantum probatur.

1. *A Sancta Sede...* De aliis Ordinariis Legislator non loquitur, sed *a fortiori* videntur lege comprehendi — *in foro conscientiae...* seu interno, sive sacramentali sive extrasacramentali — *vindicare...* proprie ulcisci aut punire significat; sed etiam rei cuiuspiam ius ad se trahere vel ab iniuria defendere; unde Caesar (VII *de bello gall.* 76): *Tanta universae Galliae consensio fuit libertatis vindicandae.* — *legitime evincat...* idest legitime probet per rescriptum concessorium vel etiam (c. 12 X *de privil.* etc. V. 33) testibus adhibitis.

2. Forum internum seu conscientiae ad utilitatem singulorum spectat, forum externum maxime ad utilitatem publicam; forum internum est voluntarium, externum necessarium: quare ibi asserenti creditur, sive pro se asserat sive contra se; hic vero *non est, nisi quod apparet*, quod nempe esse probatur (ex fr. 77 D. VIII, 1). Haec ratio quare, *privilegio uti volens, tenetur concludenter probare illius qualitates* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 578 n. 4 p. 1).

Tituli seriem resumamus. Est privilegium *ius, praeter aut contra legem permanenter acquisitum.* Proinde, quomodocumque iura huiusmodi

possint acquiri, et privilegia acquiri possunt. Potest igitur privilegium acquiri, tum per directam Principis concessionem, tum per communicationem ab eodem permissam, tum per consuetudinem aut praescriptionem (can. 63 § 1). Per possessionem etiam centenariam vel immemorabilem privilegium, non quidem acquiritur, sed quaesitum esse praesumitur (ibid § 2). Non tamen ii, quibus permissa est privilegiorum communicatio, omnia privilegia acquirunt, quae primo privilegiario fuerint concessa, sed quaedam tantum a Principe taxative statuta (can. 64). Item, quae per communicationem acquiruntur privilegia, non omnia eodem modo acquiruntur; verum, prout Principi placuerit, aut in forma aeque principali aut in forma accessoria: tum vero accessorium sequitur principale (can. 65). Privilegiis autem praeter ius, facultates habituales accensentur: et iis namque, iura quaedam praeter legem permanenter acquiruntur (can. 66).

Privilegio aut multum aut parum acquiri potest contra aut praeter legem: totum enim negotium a voluntate legislatoris unice pendet. Quare haec solummodo voluntas investiganda est, ac proinde privilegium ex ipsius tenore aestimari debet (can. 67). Quod, si inde aestimari non possit, eo quod dubia sit, dubio utique positivo, verborum significatio, Legislator docet, privilegia odiosa stricte, favorabilia vero late esse interpretanda (can. 68).

Iure suo nemo uti cogitur: ideoque nec privilegio, quod in sui duntaxat favorem concessum fuerit (can. 69).

Et, sicut lex, ita per se, nisi aliud constet, perpetuum est privilegium sive praeter sive contra legem (can. 70).

Cessant autem privilegia per revocationem a concedente eiusve successore aut Superiore factam (can. 71); per renunciationem privilegiarii, in cuius duntaxat favorem fuerint concessa (can. 72); per resolutionem iuris eius, qui concesserat, si cum clausula resolutoria indulta fuerint (can. 73); per extinctionem personae, si personalia (can. 74); per absolutum rei interitum, si realia fuerint (can. 75); per non-usum aut usum privilegio contrarium, si in aliorum gravamen cedant et accesserit legitima praescriptio aut tacita renunciatio (can. 76); per declarationem Superioris, si, mutatis circumstantiis, noxia aut illicita evaserint; nec non per exinanitionem, si praefinitum tempus aut casuum numerus impleta fuerint (can. 77); denique per privationem ob malum usum (can. 78).

Privilegia vero, quae aliter quam per legem irrogantur, cum in facto consistant, in tantum in foro externo privilegiario suffragantur, in quantum probantur (can. 79).

TITULUS VI.

DE DISPENSATIONIBUS.

Tandem per rescriptum concedi potest dispensatio. Quia vero dispensationibus et ius in casu speciali constituitur et semper constituitur contra legem, de iis et hoc in libro agendum erat et post titulum de privilegiis.

Quare in legibus interdum dispensare oporteat, lucidissime docet Aquinas (*Summa theol.* P. I II, q. XCVII, a VI): *Dispensatio proprie importat commensurationem alicuius communis ad singula; unde etiam gubernator familiae dicitur dispensator, in quantum unicuique de familia cum pondere et mensura distribuit et operationes et necessaria vitae; sic igitur et in quacumque multitudine ex eo dicitur aliquis dispensare, quia ordinat qualiter aliquod commune praeceptum sit a singulis adimplendum. Contingit autem quandoque, quod aliquod praeceptum, quod est ad commodum multitudinis ut in pluribus, non est conveniens huic personae vel in hoc casu: quia vel per hoc impediretur aliquid melius vel quia induceretur aliquod malum. Periculosum autem esset, ut hoc, iudicio cuiuslibet committeretur, nisi forte propter evidens et subitum periculum; et ideo ille, qui habet regere multitudinem, habet potestatem dispensandi in lege humana, quae suae auctoritati innititur, ut scilicet in personis vel in casibus, in quibus lex deficit, licentiam tribuat, ut praeceptum legis non servetur.*

Fuisse iure romano, saltem Papiniani ac Ulpiani tempore, a legum obligatione dispensatum, patet ex Digestis. Ait enim Ulpianus (fr. 3 D. IV): *Divus Severus et imperator noster* (idest A. Caracalla a 211-217) *huiusmodi consulum vel praesidum decreta* (quibus, nempe, ex dispensatione permittebatur minoribus rerum suarum administratio) *quasi ambitiosa esse interpretati sunt, ipsi autem perraro minoribus rerum suarum administrationem extra ordinem indulserunt.* Et alibi (fr. 1 D. I, 10): *Sed si evenerit, ut minor viginti annis consul sit*, etc. Denique (fr. 57 D. XLII, 1): *Proinde, si minor praetor, si consul ius dixerit sententiamve protulerit, valebit: princeps enim, qui ei* (videlicet ex dispensatione) *magistratum dedit, omnia gerere decrevit.* Idque ita est verum, ut Gratianus, Valentinianus et Theodosius Aug. rescripto a. 384 asserere non dubitaverint (l. 2 Cod. IX, 29): *Disputare de principali iudicio non oportet: sacrilegii enim instar est dubitare, an is dignus sit, quem* (etiam extra ordinem per dispensationem) *elegerit imperator.* Et clarius, sequenti anno, Valentinianus, Theodosius et Arcadius Aug. (l. 5 Cod. I. 25): *Sacrilegii instar est, divinis super quibuscumque administrationibus vel dignitatibus promulgandis obviare beneficiis* (hoc est Principum dispensationibus).

Varia fuit, quoad dispensationes, Ecclesiae disciplina. De primoer-

diis nulla nobis concessae dispensationis documenta innotescunt, dum ex adverso constat rigidiorem tum fuisse disciplinam.

Deinde, cum fere omnia iure particulari regerentur, tam ab Ap. Sede quam ab inferioribus Ordinariis dispensationes post factum concedebantur, ita nempe, ut, quod contra legem factum erat, ex ratihabitione, Principis legitimum fieret. Hoc modo Synodus, a. 313 Romae habita, cum Episcopis Donatistis, qui contra iuris praescriptum consecrati fuerant, quoad exercitium iurisdictionis episcopalis dispensavit (cfr. Hergenröther, *Storia univers. eccl.* libr. II c. 8).

At postea veri etiam nominis dispensationes reperiuntur, ac simul, cum paullatim ius commune constitueretur, plures dispensationes Romani Pontifices sibimetipsis reservarunt. Ita a. 794, pro Episcopis palatinis quibusdam, R. P. Carolo M. Regi dispensationem concessit ab obligatione residentiae.

Tandem praxis in principium iuridicum conversa est: iam enim Ivo Carnutensis († 1115) affirmare non dubitat (Prol. *ad Decret.*) *posse auctoritate praesidentium dispensationem praecedere.*

Dispensatio, prout a Legislatore ipso definitur, est *legis in casu speciali relaxatio.* Nimirum, ex eo, quod est relaxatio legis, a simplici gratia (cfr. comment. ad can. 62) distinguitur; ex eo vero, quod in casu speciali legem relaxat, distinguitur a privilegio, quod, per se perpetuum cum sit, speciei unius omnes casus natura sua complectitur (cfr. comment. ad can. 66 n. 1).

Dispensationum, aliae *totales* sunt, si ex toto, aliae *partiales*, si ex parte tantum eximant a lege; aliae *expressae*, si Princeps expressis verbis, literis aut nutibus, aliae *tacitae*, si implicite per factum suam dispensandi voluntatem manifestet. Deinde dispensatio *unica* esse potest aut multiplex seu *tractum habens successivum* (can. 86). Ad rem D'Annibale (*Summ. theol. Mor.* vol. I n. 230): *Dispensatio solvit vinculum legis; porro hoc vinculum aut unicum est, aut multiplex: unicum, quod una dispensatione finitur, utputa dispensatio ab irregularitate, a voto castitatis, etc.; multiplex, quod renascitur, ut ecce ieiunii, horarum canonicarum, etc. Hoc autem solvitur dispensatione vel pro unico actu, puta si dispensatus fueris ab horis canonicis hodie recitandis; vel in diem* (idest ad tempus aut causa perdurante), *veluti si fueris dispensatus, quandiu in peregrinatione eris: prior dispensatio unica est, altera virtualiter multiplex.*

Iure civili nostri temporis, dispensationes, nisi lege ipsa aliter caveatur, non conceduntur.

In titulo Legislator agit: 1°) de iis generatim, ad quos pertinet potestas dispensandi (can. 80); 2°) de iis, qui a singulis Ecclesiae legibus dispensare possunt vel non possunt (can. 81-83); 3°) de requisitis ad validam ac licitam dispensationem (can. 84); 4°) de dispensationum interpretatione (can. 85); 5°) de earum cessatione (can. 86).

CAN. 80.

Dispensatio, seu legis in casu speciali relaxatio, concedi potest a conditore legis, ab eius successore vel Superiore, nec non ab illo, cui iidem facultatem dispensandi concesserint.

Canon docet quinam generatim possint a lege ecclesiastica dispensare.

1. *Dispensatio* ... Dispensare, ut iam vidimus (cfr. Introduct. Tit.) est proprie hinc inde pendere seu ponderare: unde in iure, relaxare quandoque legem significat, cum scilicet bonum subditorum id requirit. — *in casu speciali* ... Supra diximus (cfr. comment, ad can. 66 n. 1), *casum* hac in re dupliciter accipi, videlicet, aut pro facti specie, quam lex moderatur, quaeque contingendo sub lege cadit, aut pro actu ipso, quo species facti, lege comprehensa, contingit atque cadit sub lege. Item diximus (cfr. Introduct. Tit.) leges duplicis esse generis: aliarum enim unum est vinculum (ex. c. de. s. ordinibus ab irregulari non suscipiendis aut exercendis), quod, quia unum est, semel relaxatum non renascitur; aliarum vero vinculum multiplex est (ex. c. de officio divino quotidie recitando) et, quia multiplex, etiamsi semel aut aliquoties relaxatum fuerit semper renascitur. Quare, quoad primum legum genus, altera *casus* acceptio in primam recidit et vicissim. Verum, canon loquitur de *casu speciali*: nimirum, relaxatio legis aut in casu speciali aut *generaliter* fieri potest. Generaliter fit, cum omnes comprehendit positiones *(effectuations)* facti speciei alicuius, quam lex moderatur (ex. c. quotiescumque divinum officium recitandum est); in casu speciali fit, cum unam aut aliquot tantum positiones comprehendit. Patet igitur in canone, acceptione altera praetermissa, casum prima significatione intelligi: non enim alioquin Legislator loqueretur de *speciali* casu; cumque, quoad primum legum genus, altera haec acceptio, uti diximus, in priorem recidat, inde etiam patet omnia legum genera canone comprehendi, tum quarum unum est vinculum, tum quarum multiplex; demum patet, relaxationem harum potremarum legum generaliter factam, non dispensationem esse, sed privilegium contra ius: quod semel pro semper animadvertendum esse duximus, ne ambiguitatibus implicaremur.

2. Illius est a lege dispensare, qui per legem obligavit: *omnis* enim *res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur* (c. IV *de reg. iurie* V, 41). Per se autem an per alium, legislator eiusve successor aut Superior dispensaverit, nihil refert: *potest* namque *quis per alium, quod potest facere per seipsum*, (R. 68 R. I. in VI°).

Can. 81.

A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa; aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur, quae a Sede Apostolica concedi solet.

Can. 82.

Episcopi aliique locorum Ordinarii dispensare valent in legibus dioecesanis, et in legibus Concilii provincialis ac plenarii ad normam can. 291 § 2, *non vero in legibus quas speciatim tulerit Romanus Pontifex pro illo peculiari territorio, nisi ad normam can.* 81.

Can. 83.

Parochi nec a lege generali nec a lege peculiari dispensare valent, nisi haec potestas expresse eisdem concessa sit.

Hi canones definiunt, quid possint aut non possint Ordinarii R. P. inferiores aliique clerici quoad dispensationem a legibus ecclesiasticis.

1. *A generalibus legibus...* (cfr. comment. ad can. 13) — *Ordinarii infra...* (cfr. comment. ad can. 15 n. 1) — *in casu peculiari...* idest permittendi, ut quis semel tantum contraeat legi, cuius vinculum est multiplex: haec enim minima est, quam concedi possit, potestas a lege dispensandi (cfr. comment. ad can. 80 n. 1) — *explicite...* idest expressis verbis (aut nutibus) a iure vel ab homine: et ab homine quidem, in iis, quae ad eius potestatem pertinent, facultas dispensandi semper concedi potest; a iure vero passim in Codice pluries conceditur. (cfr. ex. c. can. 459 § 4 n. 3; 990; 1028; 1043 — 1045; 1245; 2254 § 3; 2290) — *vel implicite...* Id implicite conceditur, sine quo, eo quod explicite concessum est, quis uti non potest (cfr. can. 200 § 1 ac etiam comment. ad can. 66 n. 1) — *difficilis sit recursus et simul...* Agitur sane de recursu, qui ideo difficilis est, quod celeriter fieri non potest, quacumque de causa, dummodo id ne fiat ex dolo malo recurrentis. Tum vero videndum est, num dispensatio possit longius expectari: quare, si mora non noceat, facultas dispensandi inferioribus Ordinariis iure non conceditur et Ap. Sedes adiri debet; si vero in mora grave damnum sit vel saltem gravis damni periculum, cum nempe dubium positivum subest, num ex procrastinata dispensatione grave damnum oriri possit, tunc iisdem Ordinariis concessa censetur facultas dispensandi. — *quae a Sede Apostolica concedi solet...* Plures sunt dispensa-

tiones, quae ab Ap. Sede concedi non solent, quamvis agatur de lege mere ecclesiastica. Ita ex. c. cum *dispensationes* matrimoniales *maioris gradus concedi solitae, sint ab impedimentis consanguinitatis* atque *affinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis et secundi vel tertii gradus primum attingentis*, itemque ab impedimento *criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii* (Pius Pp. X, *Ordo servandus* etc. 29 sept. 1908, *Normae pecul.* c. VII art. III n. 20): exinde Ap. Sedes dispensare non solet ab impedimento criminis ex homicidio vel ex homicidio simul atque adulterio; itemque ab impedimento consanguineitatis in primo gradu lineae collateralis; eodemque modo, ne urgente quidem mortis periculo (can. 1043), ab impedimento affinitatis in linea recta, consummato matrimonio, aut ab impedimento proveniente ex sacro presbyteratus ordine. Scilicet Ap. Sedes ab iis legibus dispensare non solet, quae vel propius ad ius divinum accedunt, vel publicam Ecclesiae utilitatem summopere respiciunt. Ad huiusmodi igitur leges non extenditur facultas generalis per can. 81 inferioribus Ordinariis a Legislatore facta, sed aut ab homine aut ab iure specialis delegatio requiritur, veluti ex. c. reipsa iure fit, urgente mortis periculo quoad plura impedimenta matrimonialia iuris ecclesiastici (cfr. can. 1043).

Locorum Ordinarii... idest Ordinarii territoriales: cum enim in canone agatur de legibus dioecesanis, Concilii provincialis ac plenarii, Ordinarii regularium exemptorum in causa non sunt — *legibus dioecesanis...* videlicet sive in Synodo dioecesana latis sive extra Synodum — *ad normam can.* 291 § 2... cuius haec sunt verba: *Decreta Concilii plenarii et provincialis promulgata obbligant in suo cuiusque territorio universo, nec Ordinarii locorum ab iisdem dispensare possunt, nisi in casibus particularibus et iusta de causa.* Quare huiusmodi leges singuli locorum Ordinarii neque abrogare possunt, neque contra eas privilegium irrogare, neque, ne in singulis quidem casibus, iusta causa deficiente, valide dispensare. — *pro illo peculiari territorio...* (cfr. comment. ad can. 13) — *ad normam can.* 81... videlicet, nisi facultatem obtinuerint, aut nisi R. P. tempestive adiri non possit.

Parochi nec a lege... nisi haec potestas... ab homine vel ab iure iisdem concedatur, prout accidit ex. c. de potestate subditos in casibus particularibus dispensandi a lege de observantia festorum, ieiunii vel abstinentiae (can. 1245 § 1).

2. Horum canonum praescripta, ex can. 80 consequuntur, quo cavetur, a lege dispensare non posse nisi eiusdem legis conditor eiusve successor aut Superior, vel qui potestatem dispensandi ab iisdem obtinuerit. Hinc videlicet defluit: 1°) Quemlibet legislatorem tum seipsum (ne conditio eius deterior quam subditorum sit), tum subditos omnes et ubique a qualibet lege a se lata dispensare posse: 2°) nullam humanam potestatem, veri nominis dispensationem posse concedere a le-

gibus divinis, sive iuris naturali ssive positivi: nemini enim constat hanc potestatem a Deo fuisse delegatam; 3°) nullum legislatorem R. P. inferiorem subditos dispensare posse a legibus ab eodem R. P. latis, sive hae generales sint sive particulares; 4°) parochos aliosque clericos, qui iurisdictione principali non fruuntur ac proinde leges ferre non possunt, neque posse a lege quavis ecclesiastica dispensare; 5°) quemcumque clericum a qualibet mere ecclesiastica lege dispensare posse, si ei facultas data sit a legis conditore eiusve successore aut Superiore.

Demum Conciliorum provincialium ac plenariorum leges, quoad dispensationes, peculiari iure reguntur: eorum enim decreta, habenda sunt tanquam leges collegialiter latae ab Ordinariis nonnullis, ex quadam tacita pactione, ut omnes aeque servandas curent. Haec ratio, quare ex iure communi a singulis Ordinariis abrogari non possunt, possunt tamen in casibus particularibus dispensari (can. 291 § 2): quam ante Codicem ubique introductam consuetudinem (cfr. D'Annibale, *Summ. theol. mor.* vol. I n. 23; Wernz, *Ius decret.* tom. I n. 122) Codex in legem generalem convertit.

Veruntamen haec omnia locum habent, si dubium positivum non subsit: nam si lex dubia sit, cum non obliget, neque opus est dispensatione; si vero dubium sit factum, tunc Ordinarius quilibet a lege dispensare potest (cfr. can. 15).

Can. 84.

§ 1. *A lege ecclesiastica ne dispensetur sine iusta et rationabili causa, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur; alias dispensatio ab inferiore data illicita et invalida est.*

§ 2. *Dispensatio in dubio de sufficientia causae, licite petitur et potest licite et valide concedi.*

Canon docet dispensationem ab inferiore datam, sine causa iusta ac probabiliter sufficienti, illicitam esse atque invalidam; datam vero a legislatore ipso, validam quidem, sed illicitam esse.

1. *Ne dispensetur...* Scilicet ab omnibus, qui dispensationem concedunt, sive relaxandam legem ipsi tulerint sive minus — *sine iusta et rationabili causa...* Et causa iusta esse potest quodcumque rationabile motivum; veruntamen, ex stylo Curiae, hae praesertim sunt causae canonicae, ob quas a lege ecclesiastica iuste dispensari potest: Ecclesiae necessitas vel utilitas, scandalum removendum, personae merita, loci ac temporis circumstantiae, aetas personae eiusve maius bonum etiam futurum, denique factum ipsum, post quod facilius dispensatio conceditur. Et huiusmodi causae gravitati legis adaequatae esse debent. — *ad inferiore data...* ab eo nempe, qui inferior est legislatore, quique proinde agit potestate delegata sive a iure sive ab homine, veluti si

Episcopus a lege Legati pontificii, vel parochus a lege episcopali dispensaverit — *illicita et invalida est...* dum contra, ex contextu canonis, si data fuerit a legislatore ipso, illicita quidem esse potest, at in foro externo nunquam invalida.

2. Ex iure igitur communi dispensatio a lege ecclesiastica certa, quicumque sit legislator, licita non est, nisi adsit iusta causa dispensandi. Et merito, nam ut ait Aquinas (*Summa theol.* I II p. q. XCVII a. 4), *si absque hac ratione* (scilicet absque iusta causa) *pro sola voluntate licentiam tribuat* (nempe Princeps) *non erit fidelis in dispensatione, aut erit imprudens: infidelis quidem, si non habeat intentionem ad bonum commune; imprudens autem si rationem dispensandi ignoret.* Gravissima sane verba, sed vera! Et Benedictus Pp. XIV (ep. encycl. *Inter omnigenas*, 2 febr. 1744 n. 12): *Tum non dispensationes*, subdit, *sed dissipationes essent, a quibus fidelis prudensque minister Christi omnino se abstinere tenetur.* Sicuti enim lex sine causa ac ratione non fertur, ita sine iusta ac rationabili causa nemo ab ea licite dispensatur.

Deinde, etiam iure communi decernitur, ut, si iusta causa desit, valeat quidem a lege dispensatio, quae ab eo concessa fuerit, qui legem tulit eiusve successore aut Superiore, minime vero quae ab inferioribus fuerit indulta. Et non sine ratione: nam agitur de foro externo, in quo id validum habetur quod legitime factum est. Quare, cum validum rescriptum Principis, dispensationem continens, producitur, nihil ultra requiritur, ut dispensatio rata habeatur: est enim dispensatio relaxatio legis, et illius est pro sua conscientia solvere, cuius est ligare; neque tum obiici potest praeteritio mandati. Quo sensu, semper verum est illud Ulpiani (fr. 1 D. I, 4): *Quod principi placuit, legis* (idest sive proprie sive improprie sumptae) *habet vigorem.* Quod tamen non contingit, si dispensatio ab inferiore indulgeatur: siquidem, iure communi, eiusmodi dispensationibus irritans conditio apponitur, ne scilicet absque iusta causa concedantur; idque fit ne legis virtus arbitrio inferiorum infringatur.

Tandem, in dubio positivo de causae sufficientia, recte dicitur posse dispensatio valide ac licite concedi: sicut enim lex dubia non obligat, ita et dubium factum certam dispensandi causam postulare non potest.

Can. 85.

Strictae subest interpretationi non solum dispensatio ad normam can. 50, sed ipsamet facultas dispensandi ad certum casum concessa.

Canon est de dispensationibus interpretandis.

1. *Strictae interpretationi...* ita, scilicet, ut, neque aliae personae quam expressae, quamvis earum idem sit casus, neque eaedem personae in casu non expresso, quamvis expresso similis sit, dispensatae cen-

seantur; videlicet *extensio ex identitate vel maioritate rationis non admittitur in dispensationibus* (S. Rota, in *Recentior.* decis. 94 n. 5 p. 6 et alibi). *Hoc tamen non obstante, extenditur ad necessaria consecutiva ex eo, super quo fuit dispensatum* (ibid. decis. 425 n. 5 p. 3 et alibi). — *ad normam can. 50...* quo nempe cavetur, ut *quae adversantur legi in commodum privatorum strictam interpretationem recipiant* (cfr. comment. ad eund. can.) — *facultas dispensandi...* scilicet a legislatore alteri delegata — *ad certum casum...* idest facultas dispensandi personas praefinitas seu facultas actualis. Potestas, generatim, delegari potest vel ad certum casum (cfr. comment. ad can. 80) seu ad actum, vel ad aliquot, vel ad omnes casus eiusdem speciei; praeterea, ad universitatem negotiorum (can. 200) sive a iure id fiat, sive ab homine, veluti ex. c. in favorem Administratoris apostolici. Iamvero, si potestas delegata fuerit ad universitatem negotiorum, late interpretanda est (ibid.); si ad omnes vel ad aliquot eiusdem speciei casus (facultas habitualis), ad normam can. 67 et 68 est aestimanda: si denique ad certum, idest ad unum casum, et exinde pro personis expresse designatis, tunc, ad normam huius canonis, stricte interpretanda est, quamvis dubius sit tenor rescripti, ita ut tum late, tum stricte intelligi possit.

2. Quare de dispensatione id contingat, supra (cfr. comment. ad can. 50 n. 2) demonstravimus. Quare vero idem tenendum sit de ipsamet facultate dispensandi, ex eo patet, quod agatur de actu, qui, sicut dispensatio cuius est pars, adversatur legi in commodum privatorum. Demum quare aliter iudicandum sit, tum in dubio de extensione facultatis habitualis (cfr. can. 68), tum praesertim ac semper de potestate delegata ad universitatem negotiorum, inde patet, quod potestates huiusmodi ad utilitatem publicam conceduntur, ideoque potestati Ordinariae (cfr. can 200) magis accedunt.

Can. 86.

Dispensatio quae tractum habet successivum, cessat iisdem modis quibus privilegium, nec non certa ac totali cessatione causae motivae.

Canon docet quemadmodum dispensationes cessent.

1. *Tractum successivum...* Tractus (a *traho*) est actus trahendi et inde dicitur de rebus in longum productis et proinde etiam de spatio temporis. Unde Velleius (II *histor.* 9): *Eodem tractu temporum nituerunt oratores.* Et Ulpianus (fr. 11 § 6 D. XXXII): *Hoc autem « cum voluerit » tractum habet, quandiu vivat is, a quo fideicommissum relictum est.* Quare *tractum habere successivum* idem est ac protrahi seu produci in futurum tempus. Ea igitur dispensatio tractum successivum habet, quae, uti supra diximus (cfr. Introduct. Tit.), non unica, sed multiplex est; quae,

nempe, a lege eximit, cuius vinculum stato tempore renascitur, ita ut, nisi perduret, lex denuo personas teneat. — *quibus privilegium...* iuxta can. 71-78, uti supra explicavimus — *certa ac totali cessatione causae motivae...* ob quam dispensatio concessa est. Vidimus (cfr. can. 42) legislatorem ad gratiam concedendam moveri posse causis motivis seu finalibus et causis impulsivis: hae impellunt, illae determinant. Canon de his loquitur. Et huiusmodi causae, ut dispensatio cesset, certe ac totaliter cessare debent: proinde dubia aut partialis cessatio non sufficit.

2. Dispensatio, quae tractum successivum non habet, statim cessat ac quis ea usus est; secus dispensatio, quae tractum habet successivum: haec namque, quoad cessationem, privilegio contra ius ad tempus concesso aequiparatur; quare nihil mirum, si eodem etiam modo evanescat.

Sed praeterea, huiusmodi dispensatio cessat ex certa ac totali cessatione causae motivae: quemadmodum enim ob causam motivam concessa fuerat, in qua tota eius ratio consistebat, ita, hac deficiente, et dispensatio deficiat necesse est.

At quare, dum, causa motiva *negative* evanescente (cfr. comment. ad can. 77), dispensatio tractum habens successivum cessat, privilegium non cessat? Quia profecto privilegium, nisi aliud constet, natura sua perpetuum est (can. 70), dispensatio vero temporaria.

Tituli fundamentum situm est in natura dispensationis. Scilicet cum haec sit legis in casu speciali relaxatio, eius in primis est dispensationem concedere, cuius est legem ferre; deinde eius, cui potestas dispensandi sit quomodocumque delegata (can. 80). Hinc etiam, a legibus generalibus, quae nonnisi a R. P. ferri possunt, solus R. P. potest dispensare. Tamen propter publicam Ecclesiae utilitatem, Ordinariis universis potestas generaliter a iure delegatur ab iisdem dispensandi quoties R. P. tempestive adiri non potest (can. 81); idque tenendum est quoque de legibus particularibus a R. P. latis (can. 82). Aliae particulares leges, singillatim aut collegialiter latae, collegialiter aut singillatim ab iis, qui tulerint, etiam dispensari possunt, sicut et possunt abrogari; non tamen legislator singularis a lege collegialiter lata (in Concilio plenario aut provinciali) valide dispensat, nisi in peculiari casu et iusta de causa: idque sive ex tacita pactione sive ex iuris communis permissu (ibid.). Denique parochi (aliique clerici) per se, cum legislativa potestate careant, a nulla lege ecclesiastica dispensare valent (can. 83).

Praeterea, sicut et lex quam relaxat, dispensatio rationabilis esse debet: proinde, nisi ex iusta causa concedatur, omnibus illicita (can. 84 § 1), et si concedatur ab inferiore, etiam invalida est (ibid.); non tamen si a legislatore ipso, qui nedum dispensare, sed etiam potest legem abrogare (ibid.). Haec, si nullum dubium subsit de sufficientia causae dispensandi: secus enim dispensatio et licita et valida est (ibid. § 2).

Deinde dispensatio, cum adversetur legi in commodum privatorum, strictae interpretationi subest; potestas vero dispensandi, interpretationi strictae vel latae, prout ad bonum privatum vel publicum fuerit delegata (can. 85).

Tandem, ex quo quis ea usus est, dispensatio vel exhauritur vel tractum habet successivum: si primum, statim cessat; si alterum, cum privilegio contra ius aequiparetur, cessat iisdem modis quibus privilegium; cumque tota gratiae ratio in causa motiva consistat, hac etsi *negative* tantum deficiente, et ipsa deficiet (can. 86).

348.1
T 64
28699
TOSO, ALBERT
28699
AUTHOR Codicem Juris Canonici
Commentaria Minora
TITLE Lib. 1 : Normae Generales

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	DEC 12 1986

28699